



SPICILEGIUM HISTORICUM

Congregationis
SSmi Redemptoris



Annus V 1957
Collegium S. Alfonsi de Urbe



JOSEPHUS LÖW

ORDO FACIENDI PROFESSIONEM CSSR

De fontibus.

Mutatio habitus signum externum est transitus e « mundo » ad vitam religiosam, et ordinarie initium noviciatus constituit, cuius terminus naturalis « professio » est religionis, cuius habitus assumptus fuit.

Apud nos quoque, probationis tempore feliciter absoluto, novitius ad professionem CSSR faciendam admittitur, quae iuxta communem morem solemnitate quorundam rituum decoratur.

In praecedente tractatione fontes immediatos ritus habitum CSSR sumendi indagavimus (1); restat, ut similem investigationem instituamus circa ritum seu « Ordinem » professionem nostrae religionis faciendi. De ratione, indole et externa praesentatione ea valent quae in superiore tractatu praelocuti sumus.

Hic quoque praemittimus conspectum generalem totius Ordinis professionis et elementorum quibus componitur, una cum titulis numerisque, a nobis maioris perspicuitatis causa inductis. Brevitatis gratia citabimus *Ordinem sumendi habitum CSSR*: OSH; et *Ordinem faciendi professionem CSSR*: OFP.

(1) *Spic. hist.* 4 (1956) 221-258.

I PRAEPARATIO AD PROFESSIONEM:

- (1) Rubrica.
- (2) VENI, SANCTE SPIRITUS - Deus qui corda fidelium = OSH 2a-c.
- (3) Versus = OSH 7a.
- (4) « Psalmus I »: Dominus regit me.
- (5) « Psalmus II »: Quam bonus Israel Deus.
- (6) Oratio: Domine Deus noster, qui superbiam.
- (7) Precatio ad B.M.V.: Ecce me ad pedes tuos.
- (8) VENI, CREATOR SPIRITUS - Prostratio. - Mentes nostras = OSH 17a.
- (9) Dialogus: Filii charissimi etc.

II PROFESSIO:

- (11) « Psalmus III »: Occurrite Angeli Domini.
- (12) Oratio: Sancte Spiritus.
- (13) PROFESSIO: Actus et acceptatio.
- (14) Precatio ad B.M.V.: Iam non amplius.
- (15) Traditio birreti.
- (16) « Psalmus IV »: Beatus, quem elegisti.
- (17) Oratio: Domine Deus noster, qui caelestem nobis militiam.

III CONCLUSIO:

- (18) Osculum pedis et amplexus fraternitatis: « Psalmus V »: Ecce quam bonum = OSH 34.
- (19) Versus = OSH 35a-d.
- (20) Orationes: Exaudi, Domine, preces nostras (1).
- (21) Deus, qui nos a saeculi vanitate (2).
- (22) TE DEUM LAUDAMUS = OSH 42a-e.
- (23) Orationes: Deus, cuius misericordiae non est numerus (1) = OSH 43.
- (24) Odorem, Domine, sacrificii huius (2) = OSH 44.
- (25) Deus, qui neminem in te sperantem (3) = OSH 45.
- (26) Agimus tibi gratias = OSH 46.
- (27) Salve Regina. - Defende quaesumus = OSH 47.
- (28) Deus, qui per beatum Alfonsum = OSH 48.
- (29) Rubrica.

||25|| II.

RITUS SUSCIPENDI

OBLATIONEM NOVITIORUM CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS.

I. PRAEPARATIO AD PROFESSIONEM*

Nn. 1-10

*Rubrica et Sancti Spiritus invocatio
Initium actus communisitatis **

1 Communitate in Ecclesia vel in Sacello Novitiatus congregata, Novitii Candidati coram Altari in plano, ceteri ad ejus partes laterales, vel in scandis genuflectunt. Superior, ad quem receptio spectat, cotta et stola indutus, Patre assistente cum cotta sed sine stola, ad dexteram ejus se tenente, dicit :

2^a Veni, Sancte Spiritus, reple 2^a = OSH 6a.
Tuorum corda fidelium, et Tui
amoris in eis ignem accende.

2^b V Emitte Spiritum Tuum 2^b = OSH 6b.
et creabuntur.

R Et renovabis faciem ter-
rae.

2^c OREMUS. 2^c = OSH 6c.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Chr. Dom. N.

R. Amen.

*Rubrica et Versiculi ad aperiendam psalmodiam **

3 Finita hac oratione, omnes, exceptis Candidatis, surgunt et Superior dicit :

3^a V. Deus in adjutorium
meum intende.

R. Domine ad adjuvan-
dum me festina.

Gloria Patri etc. Alleluja
vel Laus Tibi Domine etc.

*Psalmodia **

Nn. 4-5

4 Psalmus I.

Dominus regit me, et nihil
mihi deerit; * in loco pascuae
ibi me collocavit.

||26|| Super aquam refectionis
educavit me, * animam
meam convertit.

Deduxit me super semitas ju-
stitiae, * propter nomen Suum.

Nam etsi ambulavero in me-
dio umbrae mortis, * non time-
bo mala, quoniam Tu mecum es.

Virga Tua et baculus Tuus,
* ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo
mensam * adversus eos, qui tri-
bulant me.

Impinguasti in oleo caput
meum, * et calix meus inebrians
quam praeclarus est.

Et misericordia Tua subse-
quetur me, * omnibus diebus vi-
tae meae.

Et ut inhabitem in domo Do-
mini, * in longitudinem dierum.
Gloria Patri etc.

4 Psalmus I = Psalmus 22
Psalmus David.

Dominus regit me, et nihil
mihi deerit : * in loco pascuae
ibi me collocavit.

Super aquam refectionis edu-
cavit me : * animam meam con-
vertit.

Deduxit me super semitam
iustitiae * propter nomen suum.

Nam, et si ambulem in medio
umbrae mortis, non timebo ma-
la ; * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus, *
ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo men-
sam, * adversus eos, qui tribu-
lant me.

Impinguasti in oleo caput
meum : * et poculum tuum ine-
brians quam praeclarum est !

Et misericordia tua subseque-
tur me * omnibus diebus vitae
meae :

Ut inhabitem in domo Domi-
ni, * in longitudinem dierum.

*Vel iuxta novam psalmorum
versionem « pianam » :*

Psalmus. Davidis.

(I) Dominus pascit me : nihil
mihi deest ; * in pascuis virenti-
bus cubare me facit.

Ad aquas, ubi quiescam, con-
ducit me; * reficit animam
meam.

Deducit me per semitas rectas
* propter nomen suum.

Etsi incedam in valle tene-
brosa, * non timebo mala, quia
tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus : *
haec me consolantur:

(II) Paras mihi mensam *
spectantibus adversariis meis;

Inungis oleo caput meum; *
calix meus uberrimus est.

Benignitas et gratia me se-
quentur * cunctis diebus vitae
meae,

Et habitabo in domo Domini *
in longissima tempora.

5 Psalmus II.

1. Quam bonus Israel Deus,
* his qui recto sunt corde.

2. Laetetur con quaerentium
Dominum; * bonus est Dominus
animae querenti illum.

3. Filii Tui sicut novellae
olivarum, * in circuitu mensae
Tuae.

4. Beati, qui habitant in do-
mo Tua, Domine, * in saecula
saeculorum laudabunt Te.

5 Psalmus II.

1. PSALMUS 72, 1b. *Quam
bonus Israel Deus, his qui recto
sunt corde!*

2a. PSALMUS 104, 3b. 3a
Laudamini in nomine sancto
eius; 3b *laetetur cor quaeren-
tium Dominum.*

2b. LAMENT. IEREM. (THRE-
NI) 3, 25. *Bonus est Dominus
sperantibus in eum, animae
quaerenti illum.*

3. PSALMUS 127, 3b. 3a
Uxor tua sicut vitis abundans,
in lateribus domus tuae. 3b *Fi-
lli tui, sicut novellae olivarum,
in circuitu mensae tuae.*

4. PSALMUS 83, 5. *Beati, qui
habitant in domo tua, Domine,
in saecula saeculorum lauda-
bunt te.*

5. Melior est dies una in atrisi Tuis * super millia.

6. Filii autem hominum * in tegmine alarum Tuarum sperabunt.

7. Inebriabuntur ab ubertate domus Tuae, * et torrente voluptatis Tuae potabis eos.

8. Memores erunt nominis Tui * in omni generatione et generationem.

9. Afferentur in laetitia et exultatione, * adducentur in templum regis.

||27|| 10 Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, * videbitur Deus Deorum in Sion.

Gloria Patri etc.

5. PSALMUS 83, 11a. Quia melior est dies una in atrisi tuis super millia; elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

6. PSALMUS 35, 8b. Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

7. PSALMUS 35, 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos; 10 quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.

8. PSALMUS 44, 18. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem; Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi.

9. PSALMUS 44, 16. 15b Adducentur regi virgines post eam, proximae eius afferentur tibi. 16 Afferentur in laetitia et exultatione, adducentur in templum regis.

10. PSALMUS 83, 8. Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.

*Oratio **

N. 6

6^a V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad Te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

6^a = OSH 42^e

6 OREMUS.

Domine Deus noster, qui superbiā excēndis, diabolique seditiōnē inānē reddis, qui-que humilitatiā gloriā super Sanctorūm Tuorūm capita effundis, et immarcescibili corona eos exornas, atque per arduam et angustam salutis viam eos perducis, per quam sancti Pa-tres ingressi, quietis sedes sunt adepti; Tu, Domine omnipotens, Tuām virtutēm Tuaeque Di-vinitatiā gratiam largire super animam et corpus famulorūm Tuorūm, *) qui Tuō conspectui se praesentant, et Tuūm jugum excipiunt, ipsisque, benignissi-mē Domine, praesta, ut totis vi-ribus ac toto corde a quocum-que mundano terrenoque fastu recedentes, et juxta Evange-lium Tuūm degentes, vitam sortiantur aeternām, bonaque iis, qui Tibi placuerunt, promis-sa percipient. Per Christūm Do-minūm Nostrūm.

R. Amen.

*) Si unus tantum est, quae sunt in plu-rali, in singulari ponantur.

*Precatio marialis novitiorum **

N. 7

7^a Post haec omnes genuflectunt, et unus Novitiorum, cetero-rum nomine, recitet sequentem orationem.

Oratio.

7^b Ecce me ad pedes tuos prostratum, o Virgo immaculata, ser-vum tuum ac filium. Confundunt me immensa beneficia, quibus me, praesertim in hoc anno Novitiatus, cumulasti, et dignis tibi

6^b Fontem huius orationis non invenimus.

gratiis referendis impar sum. Sed ||28|| ubi vires non suppetunt, tu ipsa imbecillitatem meam supple et saltem desiderium, illas tibi, quas mereris, gratias referendi, clementer accipe. Conferendo tuam pietatem et liberalitatem cum mea agendi tuoque amori respondendi ratione, rubore suffundor, et non possum, quin ingratitudinem meam confitear et novis beneficiis indignum me judicem. Atvero, Mater mea, non ingratitudinem et infidelitatem meam respice, sed te, Matrem et post Deum spem meam unicam esse, memorare. Tui munera est me adjuvare, et a te omne auxilium expecto, non quasi ego id merear, sed quia tu clemens es, pia et misericors. Ardet cor meum desiderio, totum me Jesu Christo consecrandi, et tibi, o Sanctissima Virgo, hanc gratiam acceptam reffero. Tu ergo opus, quod coepisti, perfice. Sacrificium jam praeparatum est. Adsis mihi, beatissima Virgo, in hoc momento, a quo salus mea aeterna pendet, quia ab ipso pendet catena gratiarum, quibus praeelectio mea aeterna in tuto collocanda est. Corrobora igitur animam meam, ut de me ipso et de omni quod ad me pertinet, holocaustum perfectum accendam Deo tuo et meo, ne minima quidem parte mihi reservata. Me totum et integrum tuis manibus committo. Offer Jesu Filio tuo libertatem meam, voluntatem meam, facultates, sensus, affectusque meos et quidquid mei est, quidquid possum, quidquid sum. Offer Jesu Filio tuo desiderium quod habeo, et, Sua gratia opitulante, semper habiturus sum, Ipsi in hac Congregatione inter servos tuos serviendi. Non mihi deneges hanc gratiam, o Maria, in tua quippe clementia et in amore quo me, licet indignum prosequeris, omnem fiduciam atque spem meam repono. Quemadmodum hucusque nonnisi tuo praesidio adjutus omnes difficultates, omnesque inimicorum meorum aggressiones et insidias superavi, tuum erit, mihi et in posterum continuo assistere, ut victoriam de ipsis reportem usque ad mortem. Intercede pro me, bea-||29||tissima Virgo, et pro me intercedere non desine, donec me videris in coelo, ubi tecum, tuum meumque Deum amabo et laudabo, tuamque misericordiam praedicabo in aeternum. Sic spero, sic fiat.

*Rubrica, solemnis Sancti Spiritus invocatio, et novitiorum in terram prostratio *.*

8 Finita oratione, Novitiis Candidatis facie ad terram prostratis, ceteris genuflectentibus, Superior intonat hymnum: *Veni Creator Spiritus* etc. (pag. 11) qui alternatim ab utroque Choro cantatur.

8^a [Hymnus.]

Veni, Creator Spiritus, etc.]

8^a = OSH 17a.

8^b V. Emitte Spiritum Tuum **8^b** = OSH 17b.
et creabuntur.

R. Et renovabis faciem ter-
rae.

8^c OREMUS.

8^c = OSH 17c.

Mentes nostras, quae sumus
Domine, Paraclitus, qui a Te
procedit, illuminet et inducat in
omnem, sicut Tuus promisit Fi-
lius, veritatem. Qui Tecum vi-
vit et regnat in saecula saecu-
lorum.

R. Amen.

*Rubrica et dialogus inter superiorem et novitios, qui professionem
praecedit **.

9 Deinde, Novitiis Candidatis genuflexis, omnes surgunt, Su-
perior Altare ascendit et considens ad cornu Evangelii, capite coo-
perto et facie ad Communitatem conversa, a Novitiis quaerit :

9^a Filii charissimi, quid petitis *)?

Novitius, nomine ceterorum, si plures sunt.

Reverende Pater, terminato anno probationis meae, Jesu
Christo me consecrare et Congregationi huic aggregari desidero.
Confiteor quidem, me, propter malum exemplum, decurrente hoc
anno, a me datum, et propter innumeros defectus quos commisi,
hac gratia indignum esse; sed nihilominus, Te, Reverende Pater,
exoro, ut mei miserearis, culpasque meas ob amorem Dei mihi
condones, atque ad Deo serviendum in hac Congregatione, me ad-
mittas, quippe qui Tibi promitto, me, divina gratia op[er]o||30||tu-
lante, meam vivendi rationem emendaturum, ipsamque cum majo-
ri fervore instituturum esse.

*) Si unus tantum Novitius vota nuncupaturus est, Superior dicit: *Charissime Frater,
quid petis?* - Responsum autem, etiam si plures sint, ab uno, nomine ceterorum, dicitur.

Superior.

9^b Sed renuntiasne vere huic mundo, et omnibus, quae hujus mundi sunt, propinquis et amicis tuis, honoribus, oblectationibus, cunctisque affectibus terrenis, ut unice Dominum nostrum Jesum Christum diligas, Eumque imiteris?

Novitius.

Renuntio omnibus.

Superior.

9^c Proposuistine tibi firmiter, in hac Congregatione ad mortem usque perseverare?

Novitius.

Ita, Pater, usque ad mortem.

Superior.

9^d Praestabisne Superioribus tuis caecam obedientiam, sustinebisque magno et constanti animo omnes incommoditates, labores, paupertatem, contemptum, omnisque solatii humani privationem?

Novitius.

Ob Dei amorem, paratus sum sustinere haec omnia.

Superior.

9^e *) Paratusne es etiam ad te sacrificandum pro animarum salute, earum praecipue, quae ruri maxime derelictae sunt, secundum specificum nostri Instituti scopum, et ad omnes labores et adversitates, et incommoda quaecumque amplectenda, ut ipsis subvenias?

*) Si Novitius sit frater laicus, haec interrogatio omittitur.

Novitius.

Paratus sum, et libenter me ad haec omnia offero ob amorem Redemptoris nostri Iesu Christi.

Superior.

9^f Sed considerate, Filii, quod de omnibus, quae hodie ||31|| Iesu Christo promittitis, in valle Josaphat, nobis praesentibus, severam reddetis rationem.

Novitius.

Divinae gratiae auxilio et Sanctissimae Virginis protectioni confidens, spero, fore ut fidelis usque ad mortem inveniar, et Te,

Reverende Pater, omnesque Patres et Fratres instanter supplico, ut pro me oretis, et fidelitatem et perseverantiam usque ad finem precibus vestris mihi obtineatis.

*Rubrica et oratio (« sermo ») superioris **

10 Post haec, omnes, exceptis Novitiis Candidatis, considunt, et Superior ad cornu Evangelii sedens, capite cooperto, brevem orationem habebit ad Novitos Candidatos, de magnitudine gratiae, quam Deus ipsis elargitus est, de debita cooperatione, et praesertim de exacta Regularum observantia et demum de praemio reposito perseverantibus usque ad finem.

II. PROFESSIO

Nn. 11-17

*Rubrica et psalmus **

11 Qua [oratione] finita, exceptis Novitiis Candidatis, omnes surgunt et Superior intonat Psalmum sequentem.

11^a Psalmus III.

1. Occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus, * offerentes eam in conspectu Altissimi.

2. Suscipiat te Christus, qui dilexit te, * redemit te et vocavit te.

3. Suscipe servum Tuum in bonum, * fac cum servo Tuo secundum misericordiam Tuam.

11^a Psalmus III

1-2. RITUALE ROMANUM.
Tit. VI. De Sacramento extremae unctionis, Cap. VIII. *De exspiratione*, Responsorium = Tit. VII. De Exsequiis, Cap. III. *Exsequiarum Ordo*, Responsorium.

Ry. Subvenite, Sancti Dei, occurrite, Angeli Domini, * Suscipientes animam eius, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae Angeli ducant te.

3. PSALMUS 118, 122 et 124.
122 *Suscipe servum tuum in bonum*, non calumentur me superbi. 123 Oculi mei defecerunt

4. Immola Deo sacrificium laudis, * et redde Altissimo vota tua.

5. Virgam virtutis tuae emitte Dominus ex Sion, * dominare in medio inimicorum Tuorum.

6. O Domine, quia ego servus Tuus: * ego servus Tuus et filius ancillae Tuae.

7. Dirupisti vincula mea; * Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.

8. Quid retribuam Domino, * pro omnibus quae retribuit mihi.

||32|| 9. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, * in atriis domus Domini in medio tui Jerusalem.

10. Reddam Tibi vota mea * quae distinxerunt labia mea.

Gloria Patri etc.

in salutare tuum, et eloquium iustitiae tuae. 124 *Fac cum ser-vo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.*

4. PSALMUS 49, 14. *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.*

5. PSALMUS 109, 2. *Virgam virtutis tuae emitte Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum.*

6 et 7. PSALMUS 115, 16-17. 16 *O Domine, quia ego servus tuus; ego servus tuus, et filius ancillae tuae. Dirupisti vincula mea: 17 tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.*

8. PSALMUS 115, 12. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi.*

9. PSALMUS 115, 18-19. 18 *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius; 19 In atriis domus Domini, in me-dio tui, Ierusalem.*

10. PSALMUS 65, 13-14. 13 *Introibo in domum tuam in ho-locaustis; reddam tibi vota mea 14 quae distinxerunt labia mea;* et locutum est os meum in tri-bulatione mea.

*Versiculi et oratio **

12^a ¶. Sit nomen Domini be-nedictum.

R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

12^a PSALMUS 112, 2. *Sit no-men Domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum.*

12^b PSALMUS 123, 8. *Adiuto-rium nostrum in nomine Domini, qui fecit caelum et terram.*

12^b *V.* Ajutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

12^c OREMUS.

Sancte Spiritus, qui Te Deum ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immensam Tuae pietatis gratiam postulamus, ut sicut ubi vis spiras, sic et his famulis Tuis affectum devotionis indulgeas; et quoniam Tua Sapientia sunt conditi, Tua quoque Providentia gubernentur, et per intercessionem immaculatae beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, eos a vanitate saeculi veraciter converte, et sicut es omnium peccatorum remissio, ita deprimentes impietatis obligationes in eis dissolve, et ad observantiam hujus sancti propositi fac eos ita certatim studere, ut in tribulationibus et angustiis Tuam indeficiente consolatione valeant respirare, ut in vera humilitate et fraterna charitate fundati, quod, Te inspirante, hodie proponunt, facili perseverantia compleant, quod Ipse praestare digneris, qui cum Pa-

12^a et 12^b Formula ante benedictionem pontificalem; cfr. PONTIFICALE ROMANUM, passim.

12^b Formula praemittenda benedictionibus; cfr RITUALE ROMANUM. Tit. IX. De benedictionibus, Cap. I. *Regulae generales de benedictionibus*, n. 7. - Cfr. etiam OSH 2, 3, 4, 5.

12^c M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain au Moyen-Age* I, *Le Pontifical Romain du XII^e siècle (Studi e Testi 86)*, Città del Vaticano 1938, 175.

XVI *Ordo ad monachum faciendum*, 5 Alia oratio.

Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum revelare mortalibus dignatus es, postulamus immensam tuae pietatis gratiam, ut, sicut ubi vis spiras [alia lectio: aspiras], sic et huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas, et quoniam tua sapientia est conditus, tua quoque providentia gubernetur, quem iuxta tibi consuetam gratiam unctionis tua de omnibus doceat et per intercessionem beatissimi Benedicti, quem praecepimus huius sanctae institutionis legislatorem dedisti, necnon et aliorum sanctorum ad quorum nomina petitionem facit, eum a vanitate saeculi veraciter converte et, sicut es omnium peccatorum remissio, [ita] deprimentes impietatis obligationes in eo dissolve et ad observantiam huius sancti propositi fac eum [ita] certatim fervere. In [ut in] tri-

tre et Filio vivis et regnas in
saecula saeculorum.

Rv. Amen.

*ulationibus, in angustiis tua
indeficienti consolatione valeat
respirare et [et ut] iuste et pie
per veram humilitatem atque
oboedientiam in fraterna carita-
te fundatus, quod te donante
promittit, felici perseverantia
compleat. Quod ipse praestare
digneris, qui cum Deo Patre
sanctoque unigenito Filio eius,
Domino nostro Iesu Christo, vi-
vis et gloriaris Deus, per infi-
nita saecula saeculorum. Amen.*

*Professio : actus et acceptatio **

*Rubrica **

13 Deinde Superior, capite cooperto, considit ad cornu Evangelii, Missale coram se tenens apertum; et tota Communitate genuflectente et orante, unus Novitus post alterum accedit et voce alta emittit vota, sequentibus verbis.

13^a

||33|| Formula Professionis.

Amantissime Domine, Pater omnipotens aeterne Deus, summo amore dignus, Ego N.N. Congregationi SS. Redemptoris licet immerito adnumeratus, incensus desiderio, me totum sancto amori Tuo consecrandi, me obligo, ad Tibi in posterum totis viribus serviendum, imitando vitam sanctam Filii Tui et divini nostri Redemptoris Iesu Christi, quae est unica via placendi Tibi, et ad procurandam salutem animarum maxime derelictarum, praeprimis ruri degentium, juxta finem hujus Instituti principalem. Transactis igitur pluribus reflexionum et orationis diebus, nunc in praesentia divinae Majestatis Tuae, et Mariae sanctissimae et immaculatae Dominae et Matris meae, S. Josephi et S. Alphonsi, totiusque curiae coelestis, prostratus ad genua, promitto et voveo : OBEDIENTIAM, CASTITATEM ET PAUPERTATEM, (*) renuntians omnibus dignitatibus, beneficiis et officiis ecclesiasticis extra Congregationem forte in posterum offerendis. Voveo insuper et juro, ME USQUE AD MORTEM IN CONGREGATIONE PERSEVERATURUM; (*Hic tangatur Evangelium et per-*

(*) Sequentia verba: renuntians etc., usque ad verbum: offerendis, omittuntur a Fragmentis servientibus.

gatur) : ita promitto et juro per haec sancta Dei viventis Evangelia, meque his votis et juramento obstrictum declaro modo in Regulis et Constitutionibus a Benedicto XIV approbatis et in Privilegiis hujus Instituti expresso. Sic me Deus adjuvet et Sua sancta Evangelia. (Osculatur Evangelium) (1).

*Acceptatio professionis **

13^b Votis omnium emissis, Superior stando, capite cooperto et facie ad Neo-Professos conversa, dicit :

Et Ego, auctoritate a Reverendissimo Patre nostro Rectore Majore mihi commissa, accepto vestra vota et juramenta, et vos recipio ut fratres et filios Congregationis, Matris nostrae.

*Precatio marialis neo-professorum **

N. 14

14 ||34|| Deinde etiam Superior genuflectit, et unus Neo-Professorum, ceterorum nomine, sequentem orationem recitat.

Oratio.

14^a Jam non amplius meus sum, sed Tuus, Deus meus, unicunque meum Bonum. Accipe igitur clementer per manus Jesu Christi, Redemptoris mei, et Mariae Matris meae, holocaustum, quo me Tibi totum et integrum donare et consecrare intendo. Verum est, me peccatorem ingratum, et ut oculos Tuos in me convertas, indignum esse, sed ut tamen me recipias, oro atque obsecro per merita Jesu et Mariae. Fac, Domine, per amorem Jesu et Mariae, ut Tuus sim sine ulla retentione, et quoniam Tu mihi hujus oblationis et desiderium inspirasti et gratiam erogasti, consummationis quoque gratiam, supplico, mihi largiaris in Tuam et Jesu Christi, Salvatoris mei, majorem gloriam. Ex mea parte firmiter mihi propono, gratiis Tuis fideliter cooperari, atque spero, me toto corde et animo omnibusque viribus, Te esse amaturum in hac vita et in altera in aeternum. Tu autem, Sanctissima Virgo, quae in hoc sacrificio offerendo me adjuvisti, adjuva me, ut fidelis inveniar usque ad mortem. Gratia perseverantiae illa gratia est, quae peculiari modo tuis intercessionibus obtinetur. Hanc ideo omnium

(1) *Haec formula, temporibus editionum an. 1856 et 1910, unica fuit, cum professio temporanea tunc inter nos ignota esset. Post publicationem Codicis iuris canonici, Capitulum gen. an. 1921 hanc formulam professori quoque temporaneae adaptavit; vide Constitutiones et Regulae Congregationis sacerdotum sub titulo Sanctissimi Redemptoris (ed. an. 1936 nn. 1158 et 1159).*

gratiarum coronam me tua pia et potente intercessione obtentum esse spero, et in gratitudinis meae testimonium, non tantum famulatum perpetuum specialemque amorem et cultum tibi promitto, sed etiam me pro viribus procuraturum esse, ut et alii te diligant et colant. Haec est mea promissio, haec mea spes et fiducia, ut demum aliquando eo perveniam, ubi te laudem et benedicam in aeternum. Amen.

*Traditio birreti **

N. 15

15 Qua oratione dicta, Superior cum assistentibus surgit, et capite cooperto, porrigit birreta Neo-Professis, dicendo :

15^a Sciat modus, Filii et Fratres charissimi, opus, quod perfecistis, Deo gratissimum esse, quippe qui id, quod ||35|| homini pretiosissimum est, libertatem scilicet vestram ac propriam voluntatem, Ipsi obtulitis. Unde vos nunc et in posterum non vestri, sed Dei esse, considerate, magna et praeclara sperate a Dominino, Retributore fidelissimo et liberalissimo, dummodo et vos promissionibus vestris fideliter steteritis.

*Rubrica et psalmus **

16 Deinde intonat Psalmum sequentem, quem Communitas continuat, ad modum Chori.

16^a Psalmus IV.

1. Beatus, quem elegisti, et assumpsisti * inhabitabit in atriis Tuis.

2. Dominus illuminatio mea et salus mea, * quem timebo.

3. Quoniam abscondit me in tabernaculo Suo * in die malorum protexit me.

4. Circui et immolavi in tabernaculo Ejus hostiam vocife-

16^a Psalmus IV.

1. PSALMUS 64, 5a. *Beatus quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.*

2. PSALMUS 26, 1b. *Dominus illuminatio mea et salus mea; quem timebo?* IC Dominus protector vitae meae; a quo trepidabo?

3. PSALMUS 26, 5. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo; in die malorum protexit me, in abscondito tabernaculi sui.*

4. PSALMUS 26, 6b. 6a In petra exaltavit me, et nunc

rationis: * cantabo et psalmum dicam Domino.

5. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

6. Haec requies mea in saeculum saeculi, * hic habitabo quoniam elegi eam.

7. Elegi abjectus esse in domo Dei mei * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

8. Credo videre bona Domini * in terra viventium.

9. Invoca me in die tribulationis, * eruam te et honorificabis me.

10. Adjutor et susceptor meus es Tu, * et in verbum Tuum supersperavi.

11. Suscipe me secundum eloquium Tuum et vivam, * et non confundas me ab expectatione mea.

12. Sub umbra alarum Tuarum protege me * a facie impiorum, qui me affixerunt.

exaltavit caput meum super inimicos meos. 6b Circumivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis; cantabo, et psalmum dicam Domino.

5. PSALMUS 26, 10. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me.

6. PSALMUS 131, 14. 13 Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi; 14 haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.

7. PSALMUS 83, 11b. 11a Quia melior est dies una in atriis tuis super millia; 11b elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum

8. PSALMUS 26, 13. Credo videre bona Domini in terra viventium.

9. PSALMUS 49, 15. 14 Immola Deo sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua 15 et invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me.

10. PSALMUS 118, 114. Samach. Adjutor et susceptor meus es tu, et in verbum tuum supersperavi.

11. PSALMUS 118, 116. 115 Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei. 116 Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea.

12 et 13. PSALMUS 16, 8-9. Ego clamavi, quoniam exaudiisti me, Deus; inclina aurem tuam mihi et exaudi verba mea;

13. A resistentibus dexteræ
Tuae custodi me, * ut pupillam
oculi.

||36|| 14. Expecta Dominum,
viriliter age, * et confortetur cor
tuum, et sustine Dominum.

25. Laudans invocabo Domi-
num, * et ab inimicis meis sal-
vus ero.

Gloria Patri etc.

7 mirifica misericordias tuas,
qui salvos facis sperantes in te.
8 |13| A resistentibus dexteræ
tuae custodi me ut pupillam o-
culi: |12| sub umbra alarum
tuarum protege me 9 a facie im-
piorum qui me afflixerunt.

14. PSALMUS 26, 14. Ex-
pecta Dominum, viriliter age,
et confortetur cor tuum, et su-
stine Dominum.

15. PSALMUS 17, 4. Laudans
invocabo Dominum, et ab ini-
micis meis salvus ero.

*Oratio **

N. 17

OREMUS.

17 Domine Deus noster, qui coe-
lestem nobis militiam assigna-
sti ad invisibilium inimicorum
nostrorum eversionem, spiritu-
libus telis muni etiam hos fra-
tres nostros, qui in ea nunc ad-
scribuntur; ipsisque concede, ut
pervigili spiritu, reliquum suae
vitae tempus peragant, pure in-
nocenterque degendo ad laudem
et gloriam celeberrimi Nominis
Tui, nominaque eorum scribe in
libro vitae, ac nostrorum om-
nium miserere, dignosque Tuo
regno coelesti nos redde, quo-
niam sanctificatum est magnifi-
cum excelsumque Nomen Tuum
Patris et Filii et Spiritus Sancti.

R. Amen.

17 Fontem huius orationis non
invenimus.

III. CONCLUSIO: ACTUS ET PRECES FINALES*

Nn. 18-29

*Rubrica, ordinans osculum pedis superioris et amplexum fraternitatis, sub cantu psalmi [V] 132.**

18 Deinde Superior intonat Psalmum sequentem, quem Communitas continuat, ad modum Chori, ita ut illa pars quae est ad cornu Evangelii cantet stropham: *Ecce quam bonum etc.* et altera pars alteram stropham. Interea P. Socius Neo-Professos conductus ad osculandos pedes P. Magistri, si hic Ceremonia fungitur, et deinde P. Rectoris, et postea ad amplexandos ceteros Professos.

Psalmus V.

18^a = OSH 34a.

18^a Ecce quam bonum et quam jucundum, * habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite,
* quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Ecce quam bonum etc.

Quod descendit in oram vestimenti ejus, * sicut ros Hermon,
qui descendit in montem Sion.

Ecce quam bonum etc.

||37|| Quoniam illic mandavit
Dominus benedictionem, * et
vitam usque in saeculum.

Ecce quam bonum etc.

Gloria Patri etc.

Ecce quam bonum etc.

Sicut erat etc.

Ecce quam bonum etc.

18^b Hic Psalmus eodem modo repetitur, donec Oblati omnes Professos amplexati fuerint.

*Versus cum orationibus **

Nn. 19-21

19 Quo finito, Oblati in medio Altaris genuflectunt, et Communitate etiam genuflectente, Superior stans dicit:

- 19^a** *V.* Confirma hoc, Deus,
quod operatus et in no-
bis.
R. A templo sancto Tuo,
quod est in Jerusalem.
- 19^b** *V.* Salvos fac servos Tuos.
R. Deus meus sperantes in
Te.
- V.* Mitte eis, Domine, au-
xilium de Sancto.
R. Et de Sion tuere eos.
- V.* Esto eis, Domine, tur-
ris fortitudinis.
R. A facie inimici.
- V.* Nihil proficiat inimicus
in eis.
R. Et filius iniquitatis non
apponat nocere eis.
- 19^c** *V.* Domine exaudi oratio-
nem meam.
R. Et clamor meus ad Te
veniat.
- V.* Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

19^a = OSH 35b.

19^b = OSH 35c.

19^c = OSH 42e.

*Series orationum **

Nn. 20-21

OREMUS.

20 Exaudi, Domine, preces no-
stras, et super hos famulos
Tuos, Spiritum Tuae benedic-
tionis emitte, ut coelesti mune-
re ditati, Majestatis Tuae gratia-
m possint acquirere, et bene
vivendi aliis exemplum pree-
bere.

20 PONTIFCALE ROMANUM. De ordinatione diaconi.

[Postquam Pontifex diaconi-
bus iam ordinatis evangeliorum
librum tradiderit], stans ad al-
tare conversus dicit :

*Exaudi, Domine, preces no-
stras, et super hos famulos tuos
Spiritum tuae benedictionis e-
mitte : ut caelesti munere dita-
ti, et tuae maiestatis gratiam
possint acquirere, et bene vi-
vendi aliis exemplum preebere.*

Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat, in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

21 Deus, qui nos a saeculo vanitate conversos, ad bravium supernae vocationis elevas, pectoribus nostris purificandis illabere, et gratiam nobis, qua in Te perseveremus, infunde, ut protectionis Tuae muniti praesidiis, quod ||38|| Te docente promisimus, impleamus, sicutque professionis Tuae sectatores effecti, ad ea, quae perseverantibus in Te promittere dignatus es, pertingamus. Per Chr. D. N.

Rv. Amen.

21 P. CAGIN, *Le sacramentaire gélasien d'Angoulême*, Angoulême 1919, n. 2201. - G. RICHTER et A. SCHÖNFELDER, *Sacramentarium Fuldense saec. X*, Fulda 1912, n. 2287.

Missa monachorum.

Deus, qui nos a saeculi vanitate conversos ad supernae vocationis accendis amorem [Ang. deest amorem], pectoribus nostris purificandis illabere, et gratiam nobis qua in te perseveremus, infunde, ut protectionis tuae muniti praesidio, quod te donante promisimus impleamus, ut nostrae professionis executores effecti, ad ea quae perseverantibus in te dignatus es promittere, pertingamus. Per Dominum.

Solemnis gratiarum actio :

*Hymnus ambrosianus, versus et orationes **

Nn. 22-25

*Rubrica **

22-25 Hic, exceptis Neo-Professis, omnes surgunt, et Superior intonat Hymnum: *Te Deum laudamus etc.* (pag. 21) quem Communitas, ad modum Chori, prosequitur. Quo finito, Superior dicit Versus et Orationes quae ibidem habentur.

[*Agitur de his elementis:*

22a - 22d: *Hymnus ambrosianus: Te Deum laudamus*
= OSH 42a - 42d.

22e: *Versiculi post hymnum ambrosianum* = OSH 42e.

23 - 25: *Orationes:* Deus, cuius misericordiae. - Odorem,
Domine. - Deus, qui neminem = OSH 43 - 45].

*Conclusio actus communitatis **

Nn. 26-29

26 Postea omnes genuflectunt et Superior dicit :**26^a** Agimus Tibi gratias, omnipotens aeterne Deus, pro universis beneficiis Tuis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. R^y. Amen.**26^a** = OSH 46a. [Ibidem : omn. sempiterne Deus].**27** Deinde subjungit : Pro gratia Perseverantiae : Salve Regina; et Communitas continuat.**27^a** = OSH 47a.

V. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.

R^y. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.**27^b** OREMUS.**27^b** = OSH 47b.

Defende, quæsumus Domine,
 beata Maria semper Virgine intercedente, istos ab omni adversitate famulos Tuos, et toto corde Tibi prostratos, ab hostium propitiis tuere clementer insidiis.

28 V. Ora pro nobis, Sancte Pater Noster Alphonse.**28** = OSH 48.R^y. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.**28^a** OREMUS.**28^a** = OSH 48a.

Deus, qui per beatum Alphonsum Mariam, Confessorem Tuum atque Pontificem, animarum zelo succensum, Ecclesiam Tuam nova prole foecundasti, quæsumus, ut ejus salutaribus

monitis edocti et exemplis robo-
rati, ad Te pervenire feliciter
valeamus. Per Chr. D. N.

Rv. Amen.

*Rubrica **

29 Omnes recedunt, exceptis Neo-Professis, qui aliquantulum
in gratiarum actione perseverant.

||39|| III.

RITUS OBSERVANDI

SI OBLATIO ET INVESTITIO CONCURRUNT.

Est Ordo permixtus, et simul ad formam simpliciorem redactus priorum Ordinum. Nulla continet elementa nova, quae scilicet non iam in prioribus Ordinibus compareant. Inde superfluum est, hunc tertium Ordinem hic transcribere.

Finem habet in p. 50.

Sequitur p. 51: *Index*.

Demum, p. 52, leguntur hae imprimendi permissiones (i) :

IMPRIMATUR

Fr. Thomas M. Larco O. P. S. P. A. M. S.

IMPRIMATUR

Fr. A. Ligi Bussi Archiep. Iconien. Vicesgerens.

In operculo tandem habetur indicatio typographica:

ROMAE,

TYPIS S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE.

MDCCCLVI

(i) Thomas Maria LARCO; septem litterae nomen sequentes significant: Ordinis Praedicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magistri Socius.

Magister S. Palatii Ap. fuit tunc Fr. Dominicus Buttoni qui munere suo functus est ab an. 1832, sub Gregorio XVI usque ad an. 1859, tempore Pii IX; † 23 X eiusdem an.

Is sibi Socium elegit primo Fr. Vincentium Modena (an. 1832), et postea, an. scil. 1849, Fr. Thomam Larco.

I. TAURISANO, *Hierarchia Ordinis Praedicatorum*², Roma 1916, 62.

Antonius LIGI-BUSSI OMConv, parochus basilicae SS. XII Apostolorum (Roma) et professor theologiae in Collegio S. Bonaventura; a Pio IX nominatus Vices-Gerens Vicarii Urbis, 7 I 1851, praconizatus Archiepiscopus (i.p.i.) de Iconium; † 1862.

MORONI, *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica* vol. 99 (Venezia 1860) 181-182, et alibi passim (vide Indices).

CONCLUSIO

Priorem tractationem de OSH conclusimus brevibus quibusdam observationibus circa compositionem eiusdem Ordinis ex variis elementis, in quorum fontes « immediatos » indagavimus. « Conclusiones » istae seu observations valent etiam pro OFP, quem nunc simili singulorum elementorum investigationi subiecimus, nec eas iterum repetendas esse putamus.

Subiungimus vero pariter *tabulam fontium* pro singulis partibus vel particulis, inserentes insuper indicationes quoque prioris tabulae, ita ut unico facilique oculorum ictu tota ac mira illa varietas conspici valeat quae in duobus Ordinibus ex tot tantisque elementis undequaque collectis appareat. Ulterioribus tandem indagationibus absolutis, in proximis fasciculis de *historia originis* eorundem Ordinum disserere posse speramus.

TABULA FONTIUM

I. E sacra scriptura

Exodus 3, 7 - OSH 8

15, 7 - OSH 8.

Psalmi 16, 8-9 - OFP 16a.

17, 4 - OFP 16a.

22 (totus) - OFP 4.

26, 1, 5, 6, 10, 13, 14 - OFP 16a.

26, 4 - OSH 32.

33, 13 - OSH 30.

35, 8-9 - OFP 5.

44, 16, 18 - OFP 5.

49, 14 - OFP 11a.

49, 15 - OFP 16a.

64, 5 - OFP 16a.

65, 13-14 - OFP 11a.

66, 7-8 - OSH 18d.

69, 2 - OSH 7a = OFP 3a.

72, 1 - OFP 5.

72, 25-26 - OSH 32.

83, 5, 8, 11a - OFP 5.

83, 11b - OFP 16a.

103, 30, - OSH 6b = OSH 17b

= OFP 2b.

104, 3 - OFP 5.

109, 2 - OFP 11a.

113, 1-2 - OSH 8.

115, 12, 16, 17, 18, 19 - OFP 11a.

118, 114, 116 - OFP 16a.

118, 122, 124 - OFP 11a.

127, 3 - OFP 5.

131, 14 - OFP 16a.

132 (totus) - OSH 34a = OFP 18a.

Proverbia 8, 34-36 - OSH 30.

Cantica canticorum 1, 3 - OSH 27.

1, 7 - OSH 9.

2, 4 - OSH 32.

2, 10 - 11 - OSH 9.

2, 16 - OSH 24.

3, 2 - OSH 9.

3, 4 - OSH 27.

5, 1, 2 - OSH 9.

5, 10 - OSH 32.

7, 10 - OSH 27.

7, 11, 12 - OSH 9.

8, 5, 6 - OSH 10.

8, 6 - OSH 26a.

Ecclesiasticus 2, 1 - OSH 18b.

24, 29-31 - OSH 30.

Isaias 11, 5 - OSH 23a.

61, 10 - OSH 21a.

Lamentationes 3, 25 - OFP 5.

3, 28 - OSH 10.

Oseas 2, 14 - OSH 10.

Matthaeus 22, 30 - OSH 24.

Lucas 12, 35 - OSH 23a.

Ioannes 12, 25 - OSH 18d.

2 Corinth. 4, 8-10 - OSH 20a.

Ephes. 4, 23-24 - OSH 19a, 20.

Philipp. 4, 12-13 - OSH 18c.

Coloss. 3, 9-10 - OSH 19a.

Apocalypsis 14, 4 - OSH 24.

II. E libris liturgicis

Missale romanum

- Dominica Pentecostes - Oratio - OSH 6c = OFP 2c.
 Dominica Pentecostes - Versiculus - OSH 6a = OFP 2a.
 Feria IV quattuor temporum Pentecostes - Oratio - OSH 17c.
 Dominica 5 post Pentecosten - Oratio - OSH 13.
 Dominica 18 post Pentecosten - Oratio - OSH 11.
 Dominica 24 (ultima) post Pentecosten - Oratio - OSH 12.
 S. Ioseph (19 III) - Oratio - OSH 39.
 SS. Petri et Pauli (29 VI) - Postcommunio - OSH 38.
 S. Alfonsi (2 VIII) - Oratio - OSH 48 = OFP 28.
 In impressione ss. stigmatum S. Francisci (17 IX) - Oratio - OSH 28.
 In dedicatione S. Michaelis (29 IX) - Oratio - OSH 40.
 Missa pro gratiarum actione - Oratio, secreta, postcommunio - OSH 43, 44, 45-
 = OFP 23, 24, 25.
 Pro congregazione et familia (Or. div. N. 8) - OSH 37 = 47b = OFP 27b.
 Ad postulandam caritatem (Or. div. N. 29) - OSH 36.
 Oratio ad cingulum - OSH 23a.

Breviarium romanum

- Ordinarium. - Ad Matutinum: Hymnus ambrosianus: *Te Deum laudamus* -
 OSH 42a-e = OFP 22a-e (OFP 6a).
 Ordinarium. - Ad Primam: Benedictio - OSH 18d.
 Ordinarium. - Antiphona finalis BVM: *Salve Regina* - OSH 47a = OFP 27a.
 Propr. de tempore: Pentecoste. - Hymnus ad Laudes et ad Tertiam: *Veni,*
 Creator Spiritus - OSH 17a-c = OFP 8a-c.
 Commune sanctorum: Commune non Virginum, Responsorium 8^{um} - OSH 21a.
 Litaniae sanctorum: Versus post psalmum 69 - OSH 35c = OFP 9b.
 Benedictio mensae: Post prandium - OSH 46 = OFP 26a.

Pontificale romanum saeculi XII

- Ordo ad monachum faciendum - Oratio - OFP 12c.

Pontificale romanum

- De clero faciendo - OSH 19a, 20.
 De ordinatione subdiaconi, de ordinatione diaconi - OSH 21a.
 De ordinatione diaconi - OFP 20.
 De confirmandis - OSH 35b = OFP 19a.

Rituale romanum

- Tit. V, Cap. II - Ordo Administrandi s. Communionem - OSH 18d.

Tit. VI, Cap. VIII (= Tit. VII, Cap. III) - Ordo commendationis animae -
OFP 11a.

Tit. IX, Cap. VIII, n.15 - Benedictio cinguli - OSH 5.

Tit. IX, Cap. IX, n.3 - Benedictio habitus clericalis - OSH 4.

Tit. IX, Cap. IX, n.15 - Benedictio imaginis DNIC - OSH 2.

Tit. IX, Cap. XI, nn. 9, 34, 35, 39, 40 - Benedictiones « coronarum » -
OSH 3.

Rituale romano-seraphicum Ordinis Fratrum Minorum

Benedictio cinguli - OSH 5.

Oratio post vestitionem - OSH 22.

III. E scriptis sanctorum

S. Bernardus abbas - OSH 29b.

S. Franciscus Ass. - OSH 26b.

IV. Elementa propria CSSR

Rubricae

OSH 1, 6, 7, 14, 15, 17, 18, 19, 20, 21, 23, 26, 29, 32, 34, 35, 41.

OFP 1, 3, 7a, 8, 9, 10, 11, 13, 14, 15, 16, 18, 18b, 19, 22, 26, 27, 29.

Textus

OSH

15 Interrogatio superioris.

16 Petatio candidorum et responsio superioris.

18 Dialogus inter superiorem et candidatos.

18d Benedictio.

29a Ad rosarium.

41 Precatio marialis novitiorum.

OFF

7 Precatio marialis novitiorum.

9 Dialogus inter superiorem et novitios.

13a Formula professionis.

13b Acceptatio professionis.

14a Precatio marialis neo-professorum.

15a Traditio birreti.

* * *

Orationes quarum fontes adhuc latent

OSH 25, 31, 33.

OFP 6, 17.

V. Initia orationum et hymnorum
e libris liturgicis
desumptorum

- Agimus tibi gratias - OSH 46a = OFP 26a.
 Defende, quaesumus, Domine, beata Maria - OSH 37 = OSH 47b = OFP 27b.
 Deus, cuius misericordiae non est numerus - OSH 43 = OFP 23.
 Deus, qui corda fidelium - OSH 6c = OFP 2c.
 Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti = OSH 13.
 Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodesse - OSH 36.
 Deus, qui mira crucis mysteria - OSH 28.
 Deus, qui miro ordine angelorum ministeria - OSH 40.
 Deus, qui neminem in te sperantem - OSH 45 = OFP 25.
 Deus, qui nos a saeculi vanitate cōversos - OFP 21.
 Deus, qui per beatum Alfonsum Mariam - OSH 48a = OFP 28a.
 Deus, qui propter magnam misericordiam tuam - OSH 31.
 Deus, qui, ut servum absolveres - OSH 5.
 Dirigat corda nostra, quae., Dne - OSH 11.
 Domine Deus noster, qui cælestem nobis militiam assignasti - OFP 17.
 Domine Deus noster, qui eos te dignos esse decrevisti - OSH 33.
 Domine Deus noster, qui superbiam excindis - OFP 6b.
 Domine Iesu Christe, qui beato Petro apostolo tuo significans - OSH 25.
 Domine Iesu Christe, qui exsistens in forma Dei - OSH 4.
 Exaudi, Dne, preces nostras et super hos famulos tuos - OFP 20.
 Excita, quaesumus, Dne, tuorum fidelium voluntates - OSH 12.
 Maiestatem tuam, Dne Iesu, suppliciter exoramus - OSH 22.
 Mentes nostras, quaesumus, Dne, Paraclitus - OSH 17c = OFP 8c.
 Odorem, Dne, sacrificii huius - OSH 44 = OFP 24.
 Omnip. et misericors Deus, qui propter eximiam caritatem - OSH 3.
 Omnip. sempiterne Deus, has, quaesumus, imagines - OSH 2.
 Protege, Dne, populum tuum - OSH 38.
 Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum - OFP 12c.
 Sanctissimae Genetricis tuae sponsi - OSH 38.
 Te, Deum, laudamus - OSH 42a-d = OFP 22a-d.
 Veni, creator Spiritus - OSH 17a = OFP 8a.
 Veni, sancte Spiritus - OSH 6a = OFP 2a.

ADDITAMENTA

« *Ritum* » nostrum « *investiendi candidatos* » et « *suscipiendi oblationem novitiorum* », qualiter authentice a R.mo P.e Mauron an. 1856, et iterum, immutatus, a R.mo P.e Murray an. 1910 editus fuit, ad normas artis historicae et criticae investigantes, primo loco ipsum textum seu singularum formularum seriem perscrutati sumus, inquirentes in earum fontes litterarios immediatos. Studium nostrum in duabus tractationibus evolvimus, quarum prima habitus mutationem, altera religiosam professionem complectitur; tria autem vocabula, in titulis authenticis adhibita, in nostris titulis permutavimus: voci « *ritus* » vocem *ORDO* suffecimus; pro verbis « *investire - investitio* », et « *oblatio - oblati* » posuimus *HABITUM SUMERE* et *PROFESSIONEM FACERE*.

De his mutationibus earumque significatione pauca dicenda sunt.

Additamentum I^{um}: ORDO

Nemo exspectabit a nobis longas latasque explicationes etymologicas philologicas historicas de origine et de evolutione significationis verbi « *ordo* »; librum deberemus conscribere.

Vocabulum *ordo*, ex verbo *ordior* repetitum, directe significat *dispositionem unius rei post aliam, suo quamque loco collocando* (1), seu seriem rerum. Hae res vario modo accipi possunt: de rebus inanimatis vel de hominibus; in concreto vel in abstracto; in senso obvio et in sensu translato. Idem vocabulum, prout, inde a latinitate classica usque ad latitudinem mediae et infimae aetatis, per tot saeculorum decursum, progressiva rerum et institutionum humanarum evolutione, ad varios diversosque ordines (clases, status, modos) rerum sive hominum designandos adhibebatur, distinctas omnino et appropriatas notiones acquisivit, ex. gr. « *ordo* » ut *sacramentum*, « *ordo* » ut *religio* (*Ordo Fratrum minorum*), « *ordo* » ut *status socialis* (*Ordo sacerdotalis*), et alias multas.

Inter plures has notiones, voci *ordo* subiectas, ea ad nostram quaestione peculiarter pertinet, quae ad Liturgiam ususque liturgicos refertur. *Ordo in genere loquendi liturgico* significat libellum quendam, in quo series actionum vel caerimoniarum, id est, earum « *ordo* », describitur, prout in determinata occasione sacra peragendae occurunt.

Origo horum libellorum facile intuetur, si quis animum advertat ad necessitatem eius, qui sacras caerimonias dirigere debebat, potissimum si longiores et difficiliores fuerant, breviter adnotandi « *ordinem* » singularum actionum sacrarum, quae singulis sacris actoribus competebant, ut celebratio liturgica digna et bene amussata eveniret. Inter has noties, potius *rubricales*, brevi tempore, maioris commoditatis et utilitatis causa, etiam *formulae liturgicae adhibendae insertae* fuerunt, primo tempore initia tantum for-

(1) Inspiciantur maiora lexica latina sub voce « *ordo* », ex. gr. AE. FORCELLINI, *Lexicon totius latinitatis* III (ed. CORRADINI et PERIN, Padua 1940); ibidem definitio quam in textu nostro transscripsimus; DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae latinitatis* VI (editio « photomechanica » 1954, Graz, Akademische Druck- und Verlagsanstalt); MENGE-GÜTHLING, *Enzyklopädisches Wörterbuch der lateinischen und deutschen Sprache. I Lateinisch-Deutsch*⁸ (Berlin-Schöneberg, Langenscheidt, 1954); A. BLAISE - H. CHIRAT, *Dictionnaire latin-français des auteurs chrétiens* (Strasbourg, « Le latin chrétien », 1954).

mularum, mox vero totus textus, ita ut libelli formarentur qui non solum caeremoniarum magistro, sed celebranti quoque servirent. Ex collectionibus talium libellorum succreverunt, media aetate, libri liturgici maiores, destinati praecipue usui episcoporum vel sacerdotum; hae collectiones praecursores sunt moderni « Pontificalis » et « Ritualis » romani (2).

Qui indolem, usum et valorem antiquorum horum « Ordinum » melius cognoscere desiderat, adeat celebrem editionem « Ordinum romanorum », quam Maurinorum princeps Ioannes Mabillon olim paraverat (3), vel potius, pro Ordinibus saeculorum VIII-X, novissimam editionem Michaelis Andrieu (4), quae alias quascumque editiones longe praecedit amplitudine simul ac soliditate. Idem vir doctissimus alio opere magni molis origines Pontificalis romani moderni ex collectionibus Ordinum media aetate confectorum egregie demonstravit (5). Quae cum ita sint, facile comprehenditur, cur recentissime ipsa res una cum suo vocabulo proprio, occasione instaurationis liturgicae hebdomadae sanctae a summa auctoritate iterum adhibebatur; libelli enim quibus per intextas rubricas et formulas liturgicas series agendorum in sacris functionibus sanctae hebdomadae « ordinatum » describuntur, « Ordo » hebdomadae sanctae instauratus inscripti sunt (6).

Proinde, de libellis agentes, quibus series seu « ordo » caeremoniarum et formularum continentur, quae in mutando habitu et professione facienda in nostra Congregatione adhibentur, vocabulum ORDO tractationi nostrae prae-misimus.

Additamentum 2^{um}: INVESTITIO - INVESTIRE

In Codice iuris canonici, can. 553, legitur: « Noviciatus incipit suscep-tione habitus (7), vel alio modo in constitutionibus praescripto ». In qui-

(2) Notamus inter alia in *Rituali* romano: Ordo baptismi parvolorum; Ordo administrandi sacram Communione; Ordo administrandi sacramentum extremae unctionis; Ordo commendationis animae (qui etiam in *Breviario* romano continetur); Exequiarum ordo. - In *Pontificali* romano: Ordo ad synodum; Ordo excommunicandi et absolvendi; Ordo ad visitandas parochias; Ordo ad recipiendum processionaliter imperatorem, regem, principem magnae potestatis. - In *Missali* romano: Ordo Missae; Ordo ad faciendam aquam benedictam (ex *Rituali* excerptus).

(3) J. MABILLON, *Museum italicum* II, Paris 1689; iterum apud MIGNE, PL 78, 973-1373.

(4) M. ANDRIEU, *Les « Ordines romani » du haut Moyen Age* (VIII^e-X^e siècle). I *Les manuscrits* (1931); II *Les textes*, Ordines 1-13 (1948); III *Les textes*, Ordines 14-34 (1951); IV *Les textes*, Ordines 35-49 (1956). (= *Spicilegium sacrum Lovaniense* fasc. II, 23, 24, 28; Louvain). Notamus aliquos « ordines » per titulos: I Incipit ordo ecclesiasticus romanae ecclesiae qualiter missa celebratur [= *Missa papalis*]; XII Ordo antiphonarum; XXVIII Incipit ordo a dominica mediana usque in octabas paschae; XLI Ordo quomodo ecclesia debeat dedicari; XLIX Ordo qualiter agitur in obsequium defunctorum. - Volumen ultimum, con-tinens ordinem I, et indices generales, sub paelo est.

Vide etiam A. BUGNINI, *Ordines romani : Encyclopedie cattolica* IX [1952] 243-248.

(5) M. ANDRIEU, *Le Pontifical romain au Moyen Age*. I *Le Pontifical Romain du XII^e siècle* (1938); II *Le Pontifical Romain de la Curie romaine au XIII^e siècle* (1940); III *Le Pontifical de Guillaume Durand* (1940); IV *Tables alphabétiques* (1941). (= *Studi e Testi* nn. 86, 87, 88, 89; Città del Vaticano).

(6) *Ordo sabbati sancti quando vigilia paschalis instaurata peragitur*, Typ. polygl. Vat. 1951, ed. altera 1952. - *Ordo hebdomadae sanctae instauratus*, ibid. 1956. - *Ritus simplex ordinis hebdomadae sanctae instaurati*, ibid. 1957; *Ritus pontificalis* etc., ibid. eodem an.

(7) Cfr F.X. HECHT, *Einkleidung* : LThK (1931) 602; « susceptio habitus religiosi » apparet tamquam « terminus technicus » huius actus.

busdam aliis canonibus invenitur locutio *habitus religionis* (can. 492, § 3; can. 596), vel *habitus religiosus* (can. 639; can. 640 § 1, n. 1); vocabulum autem *investitio* vel *investire* in toto Codice frustra quaeres (8).

Consulendo notum «Antibarbarum» (9) sub voce *vestis* (II 731-732), eruditur verbum *vestis* in latinitate classica usu venisse in numero singulari, significans *vestitum* seu *indumenta*, non autem singulum quoddam corporis tegumentum; aetate autem posteriore in numero saepius plurali adhibitum fuit. Notatu digno locutio *vestem mutare*, cui aliquando subest notio peculiari, vestem lugubrem induendi, id quod significabat *in luctu esse*.

S. Benedictus in sua «Regula Monasteriorum», ubi de mutatione *habitus candidati* loquitur, generatim dicit: «Mox ergo in oratorio exuatur *rebus propriis*, quibus *vestitus* est, et induatur *rebus monasterii*» (10).

Haec summatim dicta nunc sufficient; plura dicemus in tractatione historica OSH quam paramus.

Ut autem pressius ad ipsam rem accedamus quam in hoc additamento exponere intendimus, hoc in memoriam revocandum est, titulos et partes rubricales nostrorum Ordinum, OSH et OFP, primitus in lingua *italica* exaratam fuisse, sicut ex origine sodalitatis nostrae facile intellegitur, versionem autem latinam quam Rector Maior Mauron an. 1856 edi curavit, non ex hoc textu primigenio italicico profluxisse, sed potius e versione *germanica*, annis praecedentibus ex italicico idiomate tracta. Tunc enim P. Mauron Superior fuit CSSR «transalpinae», cuius centrum regiminis et propagationis ab an. 1820 usque ad an. 1848 fuerat in Wien (Austria), et deinde usque an. 1855 in Koblenz (Germania). Ita evenerat ut textus italicus primitivus OSH et OFP pro usu illarum partium iamiam in linguam germanicam conversus fuisse, ita ut traductio an. 1856 in linguam latinam ex libello germanico derivaretur (11).

Ex his praecisis circumstantiis historiae nostrae explicatur forma *investitio* et *investire*, qua, littera ad litteram, redditur vocabulum germanicum *Einkleidung* et *einkleiden*, scilicet (item verbotenus): «immissio» in *vestem*, et «mittere» in *vestem*. «Barbarismi» itaque latini *investitio* et *investire*, qui in OSH occurunt, simplicissimam habent originem, uti vidimus; praebent quoque elegans exemplum, quomodo aliquando etiam minutae res per inspectionem historicam declarentur.

Immorantes adhuc paulum in vocabulis *investitio* et *investire*, notare convenit, haec ipsa vocabula et multo magis id simile *investitura*, in latinitate medii aevi originem et significationem propriam habuisse, quae ad

(8) A. LAUER, *Index verborum Codicis Iuris Canonici*, [Città del Vaticano] 1941. - Ex indice alphabeticó nostrarum Constitutionum et Regularum (Roma 1936, 742) appare, vocabulum *investitio* pro actu «vestitionis» seu mutationis *habitus* in nostra legislatione usu esse ut in OSH; origo huius usus eadem est ut infra pro OSH explicabimus.

(9) J. PH. KREBS - J.H. SCHMALZ, *Antibarbarus der lateinischen Sprache* I-II, Basel 1904-1907.

(10) Vide qualemcumque editionem regulae benedictinae, cap. 58, vel infra Appendix p. 40, ubi contextum integrum transscribemus.

(11) Relegamus ab brevem expositionem P. is O. GREGORIO, *De Ritu investiendi Candidatos et suscipiendo Oblationem Novitiorum CSSR*: *Analecta* 20 (1948) 21-23. - In historica tractatione quae proximis fasciculis praesentabitur, totam rem latius narrabimus.

notum institutum iuris publici quod «feudalitas» vocatur, pertinent. *Investitura* enim seu *investitio* erat «immissio» alicuius subditi ex parte domini terrae, regis vel imperatoris, in «feudum», seu in possessionem delegatam proprietatis ipsius domini. Haec «immissio» fiebat per traditionem signorum quae ipsius proprietatis seu feudi naturam symbolice praesignabant; in «investitura» principum ecclesiasticorum tradebatur baculus pastoralis et annulus episcopalis. Norunt omnes vehementissima illa certamina, quae praesertim saeculo X et XI propter «investituram ecclesiasticam» inter summas potestates, Papatum et Imperium, orta sunt et quasi per omnia regna Europae flagrarunt (12).

Optimum exemplum «investitionis» seu «investiturae» habemus adhuc in conferendis sacris Ordinibus, minoribus et maioribus, quando Pontifex, per traditionem instrumentorum visibilium, «investitaram» cum potestate Ordinis symbolice demonstrat peractam.

Sperare videmur hac brevi expositione demonstrasse, vocabula illa *investitio* et *investire*, quae in titulo et in textu OSH occurunt, his locis impropria esse, bonae latinitati minime respondere, nec sensum perspicuum reddere, cum dicta vocabula propter historicam evolutionem significationem peculiarem bene circumscriptam adepti sint, et insuper nimis germanicae linguae saporem retinent. Haec est ratio cur in nostra tractatione pro his verbis locutiones aptiores, bona traditione commendatas, usurpare maluimus.

Additamentum 3^{um}: OBLATIO - OBLATI

Ordo faciendi professionem CSSR, in editione authentica, cuius compositionem supra inspeximus, in inscriptione et in rubricis vocabula *oblatio* et *oblati* exhibet; in tractatione nostra vero vocem «professio» (cui respondet «professus») suscepimus. De hac mutatione vocationis artis pauca disserere decet.

Pauca, diximus; quoniam nec de historia variarum notionum vocabuli «oblatio», vel «oblatus», nec multo minus de origine et progressu institutorum liturgicorum vel canonicorum quibus hae voces subsunt, hic agere possumus. Unam tantum alteramve quaestiunculam leviter significare intendimus.

Voces *oblatio*, et *oblatus* in thesauris verborum latinitatis classicae vix inveniuntur; sed inde a latinitate posteriore et maxime in medio aevo permultas et distinctas significaciones explicabantur (13), quarum unam notare sufficit, quae ad vitam et institutionem status religiosi proxime pertinet.

(12) Satis nostrae intentioni fecimus, hanc rem breviter hic attingentes; remittere debemus pro profundiore notione ad meliores historicos medii aevi, ad tractatus iuris publici eiusdem aetatis, vel ad opera quae de cultu et humanitate illorum temporum ex professio agunt.

(13) Videantur ex.gr. vocabulorum collectiones quas in nota 1 contulimus; in MENGE-GÜTHLING vox *oblatio* deest, sub vocabulo *offerre* = ob-ferre, obviam ferre, portare aliquid ante faciem aliis, notatur etiam notio translata, praesentare aliquid aliquo, se ipsum exponere (periculo), se ipsum dedicare alicui, ex qua notione terminus religiosus *oblatio* derivatus est. Etiam *Antibarbarus* (II 186) advertit lectorem, vocem *oblatio* latinitate classica posteriore esse, vocemque *offerre* in bona latinitate simpliciter rem praesentare alicui dicere. GEORGES aliisque lexicographi docent verbum *oblatio* apparuisse primum in locutionibus linguae iuridicae (*oblatio cautionis*; *praesentatio rei*: *oblatio luminis*, precum:

Notio peculiaris verborum *oblatio*, *oblatus*, de qua nobis agendum est, haec est: significabat actum offerendi hominem (impubem vel adultum) cui-dam monasterio = *oblatio*; et ipsum hominem « *oblatum* » (participium adiectivum, usu in nomen substantivum transformatum) = *oblatus*; hae notiones verbis quoque *donatio* et *donatus* exprimi solebant.

Iam a priscis monachismi temporibus usus invaluit, impubes monasteriis non solum educandos tradendi, sed eos ita monasterio « offerendi », ut grandiores effecti, monachi fieri deberent; hi *pueri oblati* communiter vocati sunt. Hanc institutionem magni monachorum patres, uti Antonius abbas, Caesarius Arelatensis, Benedictus Nursiensis, posterique multi foverunt et praecisis normis constituerunt.

Sed hoc institutum propter non infrequentes abusus sensim obsolevit, usquedum a concilio tridentino sublatum est. Interim vero novum quoddam institutum « *oblationis* », monasteriis factae, ortum est, scilicet adultorum hominum, quod toto mediae aetatis tempore multum floruit. Agebatur de specie quadam donationis ad servitium monasterii, ordinarie totius familiae colonorum, quod tutelam et patrocinium suis oblatis praebuit.

Hoc quoque institutum, inde a recentiore aetate, propter mutationem et progressum totius vitae socialis in disusum venit. Sed iterum alia nova forma florere coepit, maxime apud ordines monachorum, itidem vocabulo *oblati* suscepto: habentur nunc *oblati saeculares*, qui sine ulla votorum obligatione ob devotionem et venerationem ordinis, praecipue benedictini, pres-sius « spiritualitatem » monasticam sequuntur, et ad communionem beneficiorum spiritualium ordinis admittuntur. Sed habentur etiam nonnullae consociationes religiosae sub denominazione « *oblatorum* », quae veras congregations religiosas efformant (14).

Usum generalem familiarum religiosarum, concedendi benefactoribus vel devotis personis participationem bonorum operum Ordinis, etiam S. Alfon-sus suum fecit. In antiquissimi Collegii nostri Pagani tabulario adhuc con-

ita in codice Iustiniani); ex hac notione defluit deinde haec potius religiosa, qua significat *rem* quoque oblatam, seu donum aut sacrificium. Du CANGE magis instat in notionibus latinitatis medii aevi, prout naturae operis convenit: *oblati* = infantes seu pueruli qui a parentibus offerebantur; item *oblati* monasteriorum, qui se ac sua monasteriis sponte ac libere obtulerunt (donati); *oblatio* = hostia, seu ipsum sacrificium, vel oblationes fidelium, altaris, defunctorum, vel simpliciter munera. Similiter FORCELLINI, (III 427 *oblatio*; 476 ss. *offerro*); denique BLAISE sub vocibus *oblata*, *oblatio*, *oblationarius*, *oblator*, *oblatum*, *oblatus*, *offerre*, *offertorium* etc. facile demonstrat, qualum explicationem hae voces ope christianaे religio-nis vel melius, liturgiae, expertae sint.

(14) Cursim tantummodo et obiter argumentum hoc vastissimum perstringere possumus. Multo minus benevolus lector a nobis exspectabit bibliographiam quodammodo com-pletam. Adducimus solum aliquas tractationes « *encyclopedicas* », remittentes ad notas bibliographicas in illis conlectas.

H. LECLERCQ, *Oblat* : DACL [Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie], XII 2 (Paris 1936) 1857-1877. - J. UTENWILER, *Oblaten, Oblation* : LThK VIII (1935) 658-659, 662. - P.A. FRUTAZ, *Oblati e Oblate* : Encyclopedie cattolica IX [1952] 21-26. - ZACCARIA da San Mauro, *Oblazioni* : ibid. 33-35. - N.M. SCHACHINGER, Die Weltoblaten des Benediktiner-ordens = Benediktinisches Mönchtum in Österreich, ed. cura H. TAUSCH, Wien 1949, 307 ss. Bene vel minus bene digestam molem notiarum habet notus MORONI, Dizionario di eru-dizione storico-ecclesiastica 48 (Venezia 1848), sub vocabulis *Oblate od oblazioni*, 195-196; *Oblate religiose*, 196; *Oblato*, 205-210; *Oblazione, offerta*, 211 ss.

servatur specimen moduli «affiliationis», a Sancto Patre nostro concedi solitae (15). Hic usus laicos Congregationi nostrae aggregandi vinculo spirituali tantum, ab inimicis Fundatoris ac Congregationis tamquam signum proclamatus, est, familiam nostram verum «Ordinem» constituere, et gravissimis infestationibus apud gubernium neapolitanum novam ansam dedit (16). Pius IV, an. 1781 (19 IX) facultatem devotos et benefactores nostrae Congregationi affiliandi, explicite comprobavit (17). Ii omnes qui hac spirituali «figlianza» (18) nostris aggregati fuerunt, iuxta morem communem «oblati» dicti sunt.

Morem hunc sodalitati nostro «oblatis» aggregandi, S. Clemens, primus Transalpinorum Vicarius gen.les, ultra montes exportaverat; sed, ut erat homo apostolicus et «practicus» simul, mox huic institutioni novum indidit spiritum novumque creavit formam. «Oblati Ss.mi Redemptoris» enim, quos per longinquas regiones Poloniae, Germaniae, Helvetiae et Austriae dilatavit, consociationem quandam *secretam* eformaverunt, quae variis modis veram «penetrationem» catholicam totius vitae et actuositatis perficere aggressa est (19). Similes societates secretae catholicae, ceterum, tunc in diversis regionibus exsisterunt et de praeservatione aut instaurazione christiana omnium cetuum fidelium optime meruerunt (20). An. 1804 (29 VII) indefessus Sanctus noster a Pio VI, qui eum anno praecedente, quando Romam petierat, a facie cognovit, obtinuit peculiarem approbationem sodalitatis «Oblatorum Ss.mi Redemptoris» (21); sed, proh dolor! post mortem Clementis etiam magnifica haec institutio deperire coepit (22).

Continuaverunt autem Superiores gen.les neapolitani et Vicarii gen.les transalpini «affiliationem» oblatorum seu benefactorum efficere, qui usus

(15) *Analecta* 21 (1949) 157.

(16) [A. TANNOIA], *Della vita ed Istituto del Ven. Servo di Dio Alfonso Maria Liguori* II, Napoli 1800, 255-256.

(17) *Documenta authentica*, Roma 1903, N° 30.

(18) Conservatur inter documenta quae ad «Oblatos» nostros pertinent, etiam modulus quidam («minuta») concessionis aggregationis, cui inscribitur «Figlianza»; est de tempore Rectoris Maioris Mansione (1817-1823); AG Oblati.

(19) Consulentur opera maiora, ut A. INNERKOPFER, J. HOFER, E. HOSP, in quibus argumentum suis locis breviter exponitur. Documenta maioris momenti habentur in *Mon. Hofb.* passim, maxime vero in fasc. 2. - Regula «Oblatorum SSR» an. 1818 habetur apud E. Hosp, *Geschichte der Redemptoristenregel*, Wien CSSR 1939, 316-334.

Noscuntur varia tentamina, «oblatis» nostros, seu benefactores et devotos, magis Congregationi uniendi, eosque ad vitam devotam educandi; vide *Verhaltungs = Regeln für die Aufgeopferten der Versammlung des allerh. Erlösers*, Sittard, J.M. Alberts, [1837] (DE MEULEM. III 26); et varia manuscripta cum collectis notitiis et commentationibus variis circa institutum nostrorum oblatorum (AG Oblati), uti paret, primis temporibus P. is Mauron.

(20) P.A. FRUTAZ, *Aa; Amicizia cristiana; Amicizia sacerdotale : Encyclopedie cattolica* I [1948] 1-2, 1064-1065, 1065-1066. - IDEM, *Positio super introductione Causae et super virtutibus S.D. pii Brunonis Lanteri* (= S. Congregatio Rituum, Sectio historica N° 63), Città del Vaticano 1945, passim, cum documentis.

(21) Documentum authenticum servatur in AG Oblati; vide etiam *Documenta authentica*, Roma 1903, N° 55.

(22) Quæritur studiosus inter nostros historiarum cultores qui argumentum «Oblatorum» S. Clementis «e professo», uti dicitur, investigare et describere vellet. Dignum esset monumentum huic sancto viro apostolico debitum.

postea ad Rectorem Maiorem romanum (inde ab an. 1855) transiit, et vi-
gere pergit (23).

Sed redeamus ad argumentum principale huius demonstrationis, seu ad relationem inter notionem peculiarem verborum *oblatio* - *oblati*, et *professio* - *professi*.

In Codice iuris canonici vocabulum *oblatio* usurpatur unice ad signi-

(23) Supra, nota 18, de modulo tempore P.iis Mausione usitato pro concedenda « affiliatione » diximus; existant etiam plures delegationes ex parte P.iis Passerat ad Provinciales pro aggregatione (AG Epistulae P.iis Passerat). Rector Maior Mauron an. 1859 (23 VIII) a Pio IX obtinuit Breve pontificum circa potestatem erigendi sodalitium Oblatorum in singulis nostris domibus (*Documenta authentica* N° 208). In AG Oblati, inter alia documenta conservatur « Liber Oblatorum » 1855-1893, seu tempore regiminis P.iis Mauron.

Tentationi quaedam pauca de hoc libro transscribendi nou possumus resistere. - Inter primos Oblatos connumerantur (19 III 1856) domini *Iosephus Wuillaume* et *Iosephus Valentini*, qui nostris in erigenda ecclesia romana maximo adiutorio erant. - 29 X 1860: Oblatus fit dom. *Henricus Desurmont*, pater P.iis nostri Desurmont, qui mox inter primores Provinciae Gallo-Helveticae ascendit (inveniuntur etiam alii non pauci parentes nostrorum Patrum). - Ita etiam, 9 VIII 1860, *Carolus von Dilgskron*, pater duorum Patrum Caroli (postea Consultoris gen.lis) et Ottonis, qui in Provincia Austriaca conspicui fuerant. - 9 XI 1861: inter Oblatos connumeratus est Dom. *Henricus von Hurter*, presbyter in Wien, filius celebrii proselyti Friderici v. Hurter, cuius exstitit biographus († Wien 1895); notissimus Hugo v. Hurter SI, alius filius Henrici fuit. - Paulo post, 17 XI 1861, tres insignes amici Collegii nostri Eggenburg (Austria) Oblati facti sunt, parochi pagorum Kottau, Burgschleinitz et Roggendorf, scil. domini *Rudolphus Prexl*, *Iosephus Zimmerl* et *Michael Brenner*. Hic ultimus a populo tamquam sanctus veneratus est et directores spiritus habuit PP. nostros. - Mentione dignus est etiam assumptio domini *Eduardi Equitis von Unkhrechtsberg*, olim CSSR et Consultor Vicarii gen.lis Passerat, postea Canonicus insulatus Metropolitanae ecclesiae in Olmütz (Olomouc), Moravia, qui, dignitatibus honoribusque abdicit, in dilectam dominum Leoben (Stiria) reversus, et ante decesum iterum ad professionem admissus est († 30 III 1870). - 23 V 1863: sub hoc die legimus: « D. *Josephus Walter*, Amérique, à cause des services rendus à la Congr. en qualité de frère lai candidat, menusier ». Ut videtur, fuit unus ex illis devotis viris qui se ad vitam collegio quadam nostro ultronee obtulerunt, nulla recepta stipe, tamquam filii domus habiti. - 14 IX 1863: *Nicolaus Adames*, nat. 1813, ab an. 1863 Provicarius apostolicus in Luxemburg, ibique inter maximos fautores PP.um nostrorum; 29 VI 1863 episcopus tit. Halicarnassensis, ab an. 1870 primus episcopus Luxemburgensis, † 1887. Multi episcopi, uti facile intellegitur, inveniuntur in hoc libro Oblatorum. - Singularem mentionem facere debemus aggregationis omnino peculiaris. 30 VII 1870: « Admodum R.P.i *Henrico Ramière* S.I. Moderatori piae Societatis ab *Orationis Apostolatu*, et universi eiusdem Sodalibus (Diplôme spécial) communicatio bonorum operum, absque titulo Oblatorum ». Celeber Apostolatus orationis propagator tunc propter Concilium vaticanicum ipse praesens fuerat in Urbe [Vide NB. in fine notarum]. - 1871 (25 IX) Dominus *Antonius Camera* (cum familia et parentibus) ac eiusdem frater R.mus Canonicus *Michael Camera*, e civitate Amalfi, eximii benefactores « Congregationis neapolitanae »; agitur de antiqua et celebri familia nobili amalphitana, cuius erat Matthaeus, auctor libri de rebus amalphitanis, scalensis etc., dum nominatus Michael alia opuscula historica ediderat. - 6 XII 1874: Sac. *Franciscus Trivellini*, director bibliothecae et musaei in Bassano, « pour les lettres du S. Alphonse »; tunc enim parabatur editio epistularum nostri Fundatoris, quae an. 1887 prodit. - 23 XI 1875: Doctor *Mooren*, « oculista », Düsseldorf « in testimonium sincerae gratitudinis pro extimo beneficio summae curae et singularis benevolentiae erga Alumnos nostrae Congregationis praestito (cataracte enlevée 2 fois gratis a R.P. Held) ». - 3 VI 1880: Oblatae factae sunt moniales *Maria Alphonsa de Liguori*, Ord. Visitationis S. Mariae, et item *Maria Alphonsa de Lig.*, Ord. Carmelitarum exalceatarum, ambae in Palermo, filiae Ducis de Calvello, Hectoris de Liguori. - 9 XI 1880: Em.mus Card. *Fridericus Ludovicus de Falloux*, qui inter amicissimos P.iis Mauron et Collegii generalicij connumerabatur. - Concludimus has notulas nomine *Augusti Senatra* (et familia), 30 V 1890, qui fuit architectus alae internae domus generaliciae et domorum nostrarum in Via dello Statuto et Pellegrino Rossi.

ficandum « donum », vocabulum vero *professio* iungitur his aliis duobus: « fidei », aut « religiosa » (24).

Si inspiciamus documenta nostra antiqua, quin tamen rem funditus exploremus, haec pauca notentur.

In prima Regularum nostrarum commentatione, quam S. Alfonsus propria exaravit manu, ponit verbum « professione », sed hoc ex eo explicatur, quod fundamento utitur Regulâ monialium Ss.mi Salvatoris, quae « professionem *solemnam* » habent (25). Sed paulo post, cum novas pararet Regularum nostrarum scriptiones, loco vocabulorum *professione*, *professi*, apparent verba *oblazione*, *oblati* (26), quae in sequentibus legibus nostris, tam condendis, quam conditis, conservantur (27).

Etiam in Congregatione generali an. 1747 (14 X) de « oblatione » seu votorum professione actum est (28). In textu pontificio Regularum locutio vocabulorum *oblatio* - *oblati* conservata est (29). In Constitutionibus capitularibus an. 1764, quae an. 1855 ut fundamentum habitae sunt Constitutionum emendatarum quae usque nunc vigere pergunt, in Constitutione « De Novitiatu », eadem locutiones adhibentur (30). Sic etiam in catalogo antiquissimo vestitionum et professionum, qui an. 1781, S. Alfonso iubente, incoepitus est, « oblationes » novitiorum notantur (31).

Sed in textibus legum nostrorum recentioribus, praesertim a Codice iuris canonici edito, post varias emendationes, habemus, circa votorum emissionem, permixtionem locutionum; usurpantur indistincte verba antiquioris traditionis nostrae: *oblatio* et *oblati*, et verba recentioris generis dicendi canonistarum: *professio* et *professi* (32).

(24) Cfr LAUER, *Index* (supra nota 8) 391: *oblatio*, *oblator*.

(25) AG XXXIV SAM IX 3. « Idea e Fine dell'Istituto del SSmo Salvadore. [...] 3. Dopo compito interamente l'anno del Noviziato e fatta la solenne [vox solemne linea extincta est] professione [...]. 12 Costituzione X delle Ricerche [...] 3. Le Ricerche Extraordinarie sono [...] Giorni di Vestizione e Professione [...] ».

Tempus huius primae commentationis vix accurate definiri potest; certo erat plures annos ante mortem episcopi Falcoia († 1743), qui has et alias sequentes scriptiones correxit.

(26) AG (ut nota praec. n. 8): « Idea de' Statuti della Sacerdoti del SSmo Salvatore [...] 4 [...] Amesso [il candidato], si manderà al Noviziato. Ma prima di mettergli le veste [sic] della Congregazione, se li faranno fare 15 giorni di esercizi spirituali, E poi si farà la funzione nel vestirlo colle Orazioni, Benedizioni, Discorso [...] ». Haec est etiam prima descriptio Ordinis vestitionis. - Sequitur: « Dopo un'anno di Noviziato faranno l'Oblazione, e in questa faranno in mano de' Superiori pro tempore i Voti semplici di Povertà, a cui annesso il Voto di rinunciare a benefici, Offici extra la Congregazione e Dignità; Castità ed Obbedienza a cui annesso anche il voto di andare alla Missione ancora degli Infedeli, quando saranno Mandati o dal Sommo Pontefice, o dal Rettor Maggiore [...] e di più faranno il Voto di perseveranza [...]. Votum autem perseverantiae primum factum est an. 1740, in vigilia festi S. Mariae Magdalena (21 VII). Igitur haec Regularum nova scriptio saltem post hunc diem, sed adhuc ante obitum episcopi Falcoia facta est.

(27) Non est hic locus, in transscribendis seriebus scriptionum Regularum, ulterius progredi usque ad earum apostolicam approbationem, an. 1749.

(28) *Analecta x* (1922) 127-139.

(29) *Codex Regularum et Constitutionum*, Roma 1896, 3-25.

(30) *Ibidem* nn. 896-971.

(31) AG Cat. V « Libro de' Registri del Noviziato della Congr. del SS. Redentore » - « Registro II Della Oblazione de' Novizi Coristi » - « Registro Dell'ingresso, Vestizione, ed Oblazione de' Fratelli Laici servienti ».

(32) *Constitutiones et Regulae*, Roma 1936, *Index alphabeticus*: *Oblatio*, *Professio* votorum. - *Formula professionis* n. 1158, 1159.

Restat nunc, ut breviter explicemus, cur S. Alfonsus in suis Regularum nostrarum insequentibus scriptionibus, loco vocabuli *professio* (*professi*) prætulerit usum verbi *oblatio* (*oblati*).

Iam vidimus, in primo tentamine quod ad componendas Regulas fecit, eum adhibuisse vocabulum, quod invenerat in Regulis monialium : *professio*; sed mox, hoc verbo relicto, constanter usus est nomine *oblatio* et *oblati*. Recordari nunc iuvat, supra nos meminisse difficultates, quae Sancto obortae sunt ob «affiliationes» benefactorum nostrae Congregationi. Gubernium enim neapolitanum, cum ceteris quae apud Domus Borbonicas servierunt, inter illa connumerandum est quae auctoritati papali et praerogativis ecclesiasticis infestissima erant. Ordines religiosi omnis generis, et tantae ecclesiasticae institutiones graviter opprimebantur; fundationes novorum Ordinum omnibus viribus impediabantur.

Historia primaeva Congregationis nostrae exemplum praebet quam utile; omnesque novimus quantas aerumnas Pater noster perpessus sit usque ad ultimum vitae halitum propter continuas vexationes ex parte regii gubernii, in stricta oppositione contra progressum Instituti nostri. S. Alfonsus, ipse expertus iuris doctor, mox sibi persuaserat, omnia evitanda esse quae, in facie gubernii, qualemcumque præ se ferrent speciem novi Ordinis exsurgentis. Qui vel parum subtiliter vitam nostri Fundatoris percurrerit, multa indicia inveniet quibus evincitur continuum studium, familiam missionariorum a Ss.mo Redemptore publice præsentandi tamquam «presbyterorum saecularium in commune viventium quoddam sodalitium» (33). Ex his rerum temporumque condicionibus explicanda esse videtur etiam assumptio vocabulorum *oblatio* («oblazione») et *oblati* («oblati»), ne propter verba *professio* et *professi* palam fieret intentio constituendi veram societatem religiosam, bene ordinatam, eius generis, quod hodie communiter «Congregatio» nominatur. Verba enim *professio* et *professi* nimis sapiebant «Ordinem» cum votis solemnibus, et hoc omnino evitandum erat.

Finem scribendi facientes putamus, mutationem verborum *oblatio* - *oblati*, olim unice et nunc in parte adhuc in nostris legibus adhibitorum, in vocabula *professio* - *professi*, quae in lingua ecclesiastica moderna notionem propriam bene definitam habent, satis explicatam esse. Mutatis enim temporibus historicisque condicionibus, quibus factum est, ut «oblati» omnino aliud institutum ecclesiasticum significant, quam «professi», nosque «oblatos» habeamus, toto mundo a nostris «professis» alienos, congruum esse perhibetur, etiam in Ordine liturgico ea adhibenda esse nomina quae usu communi moderno iamdiu sancta sunt.

(33) Sufficit qualemcumque maiorem historiam vitae S. Alfonsi perlegere; iam TANNOIA sat clare rem exposuit (I 136 ss; 190 ss).

NB. Nacti occasionem, de «Apostolatu Orationis» dicendi, opportunum esse duximus, revocare in memoriam fratrum nostrorum factum, quod pactum communicationis meritorum bonorum operum «reciprocum» fuerat, ita ut Redemptoristae omnes membra Apostolatus Orationis esse considerantur, quin necesse habeant cuiusvis aggregationis particularis; sufficit, manifestare proprio Superiori desiderium, Apostolatui Orationis adhaerere (Communicationis directionis gen. lis Apostolatus Orationis, i.e. R.mi P.is Friderici Schwendimann SI, Roma 28 ian. 1957).

APPENDICES

Si bibliothecas domuum nostrorum sacris excolendis scientiis destinatorum excipias, in ceteris collegiis et domibus minoribus, nostro apostolatui missionario dicatis, rari erunt armadii librorum, in quibus editiones criticae antiquorum operum inveniantur, quae ad subtiliorem doctrinam historicam, patristicam, liturgicam, pertineant. Propterea utile esse putamus, pro appendice aliquos textus antiquiores adiungere, ex his editionibus desumptos, quorum cognitio ad ea, quae in his tractationibus de OSH et de OFP diximus et dicemus, optime conferre valeant.

NB. - Textus ex editionibus melioribus recentioribusque desumpsimus, omisimus tamen, utpote nostrae intentioni vix utiles, sic dictas «notas criticas» ad textum constituendum ab editoribus additas aliasque adnotationes quamvis doctas, quae studiosis potissimum hominibus «specialistis» inserviunt.

I

S. CAESARIUS episcopus Arelatensis († 542)

A. Ex regula virginum

Excerptum ex editione G. MORIN, *S. Caesarii episcopi Arelatensis opera omnia*, II 2 *Opera varia*, Maredsous 1942, 102-103.

Hanc sanctimonialium Regulam Arelatensis praesul, praedicatorum huius saeculi facile princeps, et totius Galliae tunc temporis gravissime a barbaris populis percussae lumen maximum, pro monasterio composuit, quod ipse pro devotis virginibus fundaverat et cui proprium sororem, S. Caesariam, abatissam, praefecerat.

Nostra interest notare: locutiones «habitum religionis adsumere» et «habitum mutare» sicut annum integrum probationis, elementa potiora disciplinae monasticae (vel religiosae) esse quae usque ad moderna tempore suum retinuere momentum.

4. Ei ergo, quae Deo inspirante convertitur, non licebit statim habitum religionis adsumere, nisi ante in multis experimentis fuerit voluntas illius adprobata; sed uni de senioribus tradita per annum integrum in eo, quo venit, habitu perseveret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo, sit in potestate prioris: et quomodo personam vel compunctionem videbit, ita vel celerius vel tardius studeat temperare.

B. Ex epistulis ad sanctimoniales

Excerptum ex editione G. MORIN, *S. Caesarii episcopi Arelatensis opera omnia*, II 2 *Opera varia*, Maredsous 1942, 135-136.

Ex secunda, quae conservata est, S. Caesarii epistula ad sororem abatissam, S. Caesariam, haec pauca exscripsimus, quae ad argumentum habitus sumendi pertinent.

II [Epistula]

Caesarius episcopus ... sanctae sorori Caesariae abatissae ...

[...] quamdiu in hoc corpore vivimus, die noctuque Christo adiutore vel duce contra diabolum repugnemus. Sunt enim aliqui, quod peius est, neglegentes et tepidi, qui de solo christianitatis vocabulo gloriantur, et putant, quod illis sufficiat, vestem mutare, et religionis tantum habitum suscepisse, nescientes illud propheticum [...]. Vests enim saeculares deponere, et religiosas adsumere, unius horae momento possumus; mores vero iugiter retinere, vel contra male dulces voluptates saeculi huius, quamdiu vivimus,

Christo adiutore, laborare debemus: quia non qui cooperit, sed qui perseveraverit, salvus erit.

II

S. BENEDICTUS abbas († 547)

De disciplina suscipiendorum fratrum

Excerptum ex: *Sancti Benedicti Regula Monachorum.*

Secuti sumus sequentem editionem: *Textus critico-praticus* sec. cod. Sangall. 914: adiuncta verborum concordantia, cura D. Philiberti SCHMITZ, addita Christinae MOHRMANN enarratione in linguam S. Benedicti, Editio altera emendata, Maredsous 1955.

Ex Regula S. Benedicti, Caesarii Arelatensis coaevi, capitulum delegimus, quo de admissione, probatione et professione candidatorum agit.

Non paucae locutiones et actiones ponderandae essent, sicut: «conversatio» [morum conversio], «stabilitas» [in monasterio, perseverantia], «suscipere in congregatione» [admissio], promissio «de stabilitate, conversatione morum et oboedientia» [professio], quae in scriptis fieri debeat, caerimonia sacra in oratorio monasterii, in qua professio scripta super altare posita fuit, recitatio responsorialis inter suscipiendum et monachos, ad pedes monachorum prostratio et demum, tamquam praeteritorum conclusio, habitus mutatio, item in oratorio peracta.

[Capitulum] LVIII

DE DISCIPLINA SUSCIPIENDORUM FRATRUM

1. - Noviter veniens quis ad conversationem, non ei facilis tribuatur ingressus; sed, sicut ait Apostolus: «Probate spiritus, si ex Deo sunt». Ergo si veniens perseveraverit pulsans et illatas sibi iniurias et difficultatem ingressus post quattuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere petitioni suae, annuatur ei ingressus et sit in cella hospitum paucis diebus. Postea autem sit in cella noviciorum, ubi meditent et manduent et dormiant.

2. - Et senior eis talis deputetur qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eos omnino curiose intendat. Et sollicitudo sit si revera Deum quaerit, si sollicitus est ad opus Dei, ad oboedientiam, ad opprobria. Praedidentur ei omnia dura et aspera, per quae itur ad Deum.

3. - Si promiserit de stabilitate sua perseverantium, post duorum mensium circuitum legatur ei haec regula per ordinem et dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis; si potes, observare, ingredere; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam noviciorum et iterum probetur in omni patientia.

4. - Et post sex mensium circuitum legatur ei regula, ut sciat ad quod ingreditur. Et si adhuc stat, post quattuor menses iterum relegatur ei eadem regula. Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens et lege regulae constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de monasterio nec collum excutere de sub iugo regulae quod sub tam morosa deliberatione licuit aut excusare aut suspicere.

5. - Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et conversatione morum suorum, et oboedientiam, coram Deo et

Sanctis eius, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat quem irridet.

6. - De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen Sanctorum quorum reliquiae ibi sunt et abbatis praesentis. Quam petitionem manu sua scribat aut certe, si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat et ille novicius signum faciat et manu sua eam super altare ponat. Quam dum imposuerit, incipiat ipse novicius mox hunc versum: « Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam; et ne confundas me ab exspectatione mea ». Quem versum omnis congregatio tertio respondeat, adiungentes « Gloria Patri ». Tunc ille frater novicius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo; et jam ex illa hora in congregatione reputetur.

7. - Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus aut facta solemniter donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus; quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum scit.

8. - Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est et induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est repellantur in vestiario conservanda: ut, si aliquando suadenti diabolo consenserit ut egrediatur de monasterio, quod absit, tunc exutus rebus monasterii proiciatur. Illam tamen petitionem eius quam desuper altare abbas tulit non recipiat, sed in monasterio reservetur.

III

PONTIFICALE « romano-germanicum » saeculi XII

Clarissimus M. Andrieu, quem iam nominavimus (Additamentum I), probavit factum illud, omni notatu dignum, ex collectionibus privatis « Ordinum » coaluisse librum quemdam, inde a saeculo XI et XII in forma plus vel minus completa large diffusum, ex quo sequentibus saeculis, ulteriore labore « redactionali » accidente, *Pontificale romanum nostrum* provenit. Harum rerum vir studiosissimus, denominationem « Pontificale romano-germanicum » introduxit, quia locus originis illius compositionis regio praesertim germanica circa Rhenum erat. Liber ille « ordinum » ad usum maxime episcoporum, cum aliis libris et usibus germanicis in Urbe quoque allatus est, ubi connubium quoddam effectum est inter ritus romanos indigenos et illos ex regionibus « ultra montes » advectos.

Notetur abundantia formularum liturgicarum; sed recordetur, indicationem « alia oratio » nihil aliud significasse, quam ut ex *omnibus* orationibus propositis, una ad liberam electionem praesto esset; tardioribus tamen temporibus haec praevaluit interpretatio, *omnes* has « alias » orationes esse adnibendas, ita ut sacrae functiones iusto longiores devenirent (1).

A. [Ordo ad clericum faciendum]

Ex opere M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain au Moyen Age*, I *Le Pontifical Romain du XIIe siècle* (= *Studi e Testi* n. 86), Città del Vaticano 1938, 123-124.

In nomine domini incipit ordo de septem ecclesiasticis gradibus.

In primis prefatio ad clericum faciendum.

1. Oremus, dilectissimi fratres, dominum nostrum Iesum Christum pro hoc famulo suo N. qui ad deponendam comam capitis sui pro eius amore

(1) In liturgica illa instaurazione quam Pius PP. XII recenter inauguravit, evidens est intentio, hanc tardioram abundantiam formularum ad primitivam sobrietatem reducendi; recognitetur reductio benedictionis palmarum e forma « quasi-Missae » ad brevem actionem, vel modus, quo « Missa praesantificatorum » ad originalem ritum communionis conversa est, et alia huiusmodi, quae in novo « Ordine » hebdomadae sanctae instauratae identidem inveniuntur.

festinat, ut donet ei spiritum, qui habitum religionis in eo perpetuum conservet et a mundi impedimento vel seculari desiderio cor eius defendat, ut sicut immutatur vultu, ita manus dextera eius ei virtutis tribuat incrementa et ab omni cecitate spirituali vel humana oculos eius aperiat et lumen ei eternae gratiae concedat. Qui vivit.

2. Oremus. Diaconus: Flectamus genua. Levate.

Adesto, domine, supplicationibus nostris et hunc famulum tuum N. benedicere dignare cui in tuo nomine habitum religionis imponimus, ut te auxiliante devotus in ecclesia tua persistere et vitam percipere mereatur aeternam. Per.

3. Dum tondes eum dicis antiphonam: Tu es, domine, qui restitues mihi hereditatem meam. Ps. Dominus pars hereditatis meae et calicis mei. Et repeat: Tu es, domine, qui. Gloria patri. Et repeat: Tu es, domine. Ant. Hic accipiet benedictionem a domino et misericordiam a Deo salutari suo, quia haec est generatio querentium dominum. Ps. Domini est terra, usque in finem.

4. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, propitiare peccatis nostris et ab omni servitute secularis habitus hunc famulum tuum N. emunda, ut dum ignominiam secularis habitus deponit, tua semper in aevum perfruatur gratia et sicut similitudinem coronae tuae eum gestare facimus in capite, sic tua virtute hereditatem subsequi mereatur aeternam in corde. Per.

5. Postquam tonsoratus fuit:

Oratio. Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut hic famulus tuus N., cuius hodie comam capitis pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneat et eum sine macula in sempiternum custodias. Per.

B. [Ordo ad monachum faciendum]

Ex opere M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain au Moyen Age*, I *Le Pontifical Romain du XII^e siècle* (= *Studi e Testi* n. 86), Città del Vaticano 1938, 174-176.

XVI. Ordo ad monachum faciendum.

1. In primis faciat letaniam. Deinde dicit orationem:

Adesto, domine, supplicationibus nostris et hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in sancto tuo nomine habitum sacrae religionis inponimus, ut te largiente et devotus in ecclesia tua persistere et vitam percipere mereatur aeternam. Per.

2. Alia. Deus indulgentiae pater, qui, severitate tuae distinctionis temperans, indulsti ne filius portet iniquitatem patris et qui, mira dispensatione etiam malis bene utens, tuae dignationis gratiam per eos frequenter operaris, quaesumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo non obsistat quod habitum religionis per nos tanta ac tali re indignos accipit, sed ministerium, quod exterius per nos exhibetur, tu interius per donum sancti spiritus exequaris. Per.

3. Alia oratio. Deus, qui per coaeternum filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum per mysterium sanctae incarnationis eius renovare dignatus es, te suppliciter exoramus, ut eiusdem domini nostri gratia super hunc famulum tuum N., abrenuntiationem saeculi profitentem, clementer respicere dignetur, per quam in spiritu suae mentis renovatus,

veterem hominem cum actibus suis exuat et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per.

4. Alia oratio. Domine Iesu Christe, qui es via sine qua nemo venit ad patrem, quae sumus benignissimam clementiam tuam, ut hunc famulum tuum, a carnalibus desideriis abstractum, per iter disciplinae regularis deducas et qui peccatores vocare dignatus es, dicens: « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis et ego vos reficiam », praesta ut haec vox invitacionis tuae ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens et quam dulcis es gustans, tua refectione sustentari mereatur et, sicut attestari de tuis oibis dignatus es, agnosce eum inter oves tuas et ipse te agnoscat, ut alienum non sequatur sed te, neque audiat vocem alienorum sed tuam qua dicas: « Qui michi ministrat me sequatur ». Qui vivis et regnas.

5. Alia oratio. Sancte spiritus, qui te Deum ac dominum revelare mortalibus dignatus es, postulamus immensam tuae pietatis gratiam, ut, sicut ubi vis spiras, sic et huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas, et quoniam tua sapientia est conditus, tua quoque providentia gubernetur, quem iuxta tibi consuetam gratiam unctionis tua de omnibus doceat et per intercessionem beatissimi Benedicti, quem praecipuum huius sanctae institutionis legislatorem dedisti, necnon et aliorum sanctorum ad quorum nomina peticionem facit, eum a vanitate saeculi veraciter converte et, sicut es omnium peccatorum remissio, deprimentes impietatis obligationes in eo dissolve et ad observantiam huius sancti propositi fac cum certatim fervere. In tribulationibus, in angustiis tua indeficienti consolatione valeat respirare et, iuste et pie per veram humilitatem atque oboedientiam in fraterna caritate fundatus, quod te donante promittit, felici perseverantia compleat. Quod ipse praestare digneris, qui cum Deo patre sanctoque unigenito filio eius domino nostro Iesu Christo vivis et gloriaris Deus, per infinita saecula saeculorum. Amen.
[= OFP 12c].

6. Benedictio vestium monachi.

Domine Iesu Christe, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam in hoc genus vestimenti, quod sancti patres, ad innocentiae vel humilitatis indicium, abrenuntiantibus saeculum ferre sanxerunt, et ita benedicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc usus fuerit, te induere mereatur. Qui vivis.

7. Cum exuit eum veste seculari, dicit:

Exuat te dominus veterem hominem cum actibus suis [cfr OSH 19a].

Cum induit eum dicit:

Induat te dominus novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Amen.

8. Oratio. Deus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nichil sanctum inchoatur nichilque bonum perficitur, assint nostris humilissimis precibus tuae pietatis aures et hunc famulum tuum, cui in tuo sancto nomine sacrae religionis habitum imposuimus, a mundi impedimento vel seculari desiderio defende et concede ei, ut in hoc sancto proposito devotus persistere et, remissione peccatorum percepta, ad electorum tuorum pervenire valeat consortium. Per.

RAYMUNDUS TELLERÍA

MARIA THERESIA DE LIGORIO, HERCULIS DE LIGORIO FILIA ATQUE EX EODEM NEPOS S. ALFONSI, IN MONASTERIO SS. MARCELLINI ET FESTI SANCTIMONIALIS

Monasteria neapolitana in praecedentibus articulis (1) perquisita non-dum linquimus quin breviter memoremus piam Christi Sponsam cum S. Alfonso sanguinis legamine devinctam, Mariam nempe Theresiam de Ligorio, fratris Herculis filiam atque in coenobio benedictino SS. Marcellini et Festi educandam, novitiam ac professam, tardius vero in S. Gregorii Armeni monasterium benedictinum translatam. Longum sane, utpote 84 annis productum, vitae curriculum novit Maria Theresia, cui honos et gaudium obvenit tandem venerandi supra altare patrum dilectissimum, olim sibi orphanae in capessenda vocatione tutorem ac consiliarium.

Primum diei lumen aspexit Maria Theresia in avito Marianellae palatio die 28 iulii an. 1764, primogenita ex matrimonio Herculis de Ligorio iam fere senescentis cum Marianna Capano Orsini, quaè ad nuptias ineundas valedixit monasterio «Donna Romita», ubi tanquam educanda morabatur (2). Gaudium vere ingens, quo nascitura (3) cunctam familiam implevit, Maria

(1) Cfr *Spicilegium historicum CSSR* 2 (1954) 285-306; 4 (1956) 7-24.

(2) Archivum Curiae - Napoli. Processi matrimoniali, Ercole de Liguoro, an. 1763: «D. Marianna Capano, non casata, del sedile di Nido, figlia del signor Principe di Pollica [...], commorante del monistero di D. Romita».

(3) Statim ac Hercules de Ligorio intellexit uxoris graviditatem, litteras die 5 ianuarii an. 1764 ex Marianella dedit fratri suo Alfonso: «Ora vi cerco in gratia (già che il Signore si è degnato per sua misericordia di benedire questa Casa) di raccomandarci alla Santa Messa, che s'è di suo serviggio per le continue celesti benedizioni, ed anche dalla tua Congregazione [...]. Io mi comprometto ogni felicità solo per le tue orationi, e della tua Congregazione, ed anche per la bontà di vita di D. Marianna essendo stata sempre divota; ora è cosa che sorprende». Subiunxit notitiam super gaudio quo perfundebatur Franciscus Cavalieri, communis patruelis: «D. Francesco Cavaliero sentendo tal notitia dal mio gentil'omo, ne pianse d'allegrezza dicendo queste formali parole: Ora sò a chi vada la mia roba». Demum ipsa D. Marianna propria manu subdidit postscriptum: «Monsignor mio, vi priego à raccomandarmi al Signore, che mi dia pazienza à sopportare quei patimenti, che apportano la gravidanza, e pigliarmeli per i miei peccati, e se il Signore mi volesse pigliare in questa gravidanza non mi faccia morire in quell'atto, che non sono capace d'invocare il suo santo aiuto». (AG XXIX 24. Originale).

Theresia sibi fere negatum a pueritia didicit. Enimvero fere inter fascia adhuc ipsa subridebat, cum in illius matre Marianna saltem a mense iulio an. 1766 vacillare coepit (4) rationis fulgor, quem labentibus annis prorsus obnubilatum deflevit universa Ligorii gens, ac piae primis S. Alfonsus (5). Quam ob rem puerula Maria Theresia vix septennis in monasterium SS. Marcellini et Festi (6), educationis gratia, remissa fuit mensibus aestivis an. 1771, uti ex documentis infra relatis apparebit.

Adolescentia nondum superata, ob oculos sibi suisque familiaribus proposuit Maria Theresia arduum status eligendi discrimen, in eam tamen partem sese inclinans, quae ad vitam religiosam perducebat (7). E vivis autem sublatlo eiusdem patre Hercule die 8 septembbris an. 1780, puella quattuordecennis illiusque fratres natu minores Iosephus atque Alfonsus tutorem legalem exceperunt Petrum Gavotti necnon protectorem familiarem S. Alfonsum (8). Sanctus Antistes, qua in nepotes ferebatur naturae et gratiae dilectione, nihil intentatum reliquit ut, quam in Maria Theresia praesenserat claustralem vocationem, eamdem confoveret atque in novitiatus portum deduceret. Quotquot enim S. Alfonsi epistolas huius temporis pervolverint, probe sciunt quanto ipse studio, quibus pressis consiliis, quanta animi et cordis trepidatione ancipitem orphanam nepotem in novae vitae semita quaerenda illuminarit, in amplectenda persuaserit, in iam electa confirmaverit (9), ideoque ab his enucleandis supersedemus necnon ab aliis similium eventuum adjunctis, quae alibi prolixius descripsimus (10).

Caeterum notitias in his S. Alfonsi epistolis partim seminatas ad amusim roborant haec hodierna archivorum documenta easque ex integro illuminant quoad sequentia: tempus videlicet statuunt quo Maria Theresia, patre orbata, monasterium ante novitiatum ad tempus dereliquit ac cum palatio ducissae Bovinensis mutavit (11); dotis quantitas ponderatur ac conditio-nes, quibus novitiae monasterio adfiliatio subiacuit; pacta noscuntur renun-tiationis iurium familialium in beneficium fratri sui Iosephi; in lucem eduntur instrumenta publica, quae solemnem Mariae Theresiae professionem respiciunt; alia demum inclarescunt, etsi minoris momenti, rerum ac personarum adjuncta intra ambitum historicum alfonsianum.

Aliunde, ex S Alfonsi epistolis publici iuris factis, nobis constat quanta sollicitudine vigil Senex nepotis novitiae ac professae vitam spiritualem sua-sionibus et precibus aluerit, immo et quandoque donis (12) atque prodigiis

(4) *Lettere di S. ALFONSO I*, Roma 1887, 610.

(5) [A. TANNOIA], *Della Vita ed Istituto...* II, Napoli 1800, 247 (lib. III, c. 47).

(6) Hoc monasterium, simul cum vicinore S. Severini et Sossii, efformabat quasi urbis regionem benedictinam. « Un altro vicolo, ait Celano, oggi chiamasi di S. Severino e S. Marcellino per due famosi monasteri che vi stanno, uno di Monache, l'altro di Monaci, che vivono sotto la Regola di S. Benedetto » (C. CELANO, *Notizie della città di Napoli*, Giornata terza, Napoli 1758, 173). In monasterium S. Severini se receperat S. Alfonsi fra-ter Antonius, post professionem Benedictus compellatus.

(7) *Lettere di S. ALFONSO II* 567, 605.

(8) [A. TANNOIA], *Della Vita ed Istituto ...* III, Napoli 1802, 72 (lib. IV, c. 15).

(9) *Lettere di S. ALFONSO II* 613, 615, 622, 623, 626.

(10) *Spicilegium* 4 (1956) 13-24. (11) *Lettere II* 614-616, 624.

(12) *Ibid.*, 628: « Vi mando queste figurine di Maria Santissima ». - Cfr C. BERRUTI, *Lo Spirito di Sant'Alfonso*, Prato 1896, 33^r.

altiorem reddiderit (13). In hanc quoque celsitudinem cor sanctimonialis evehere gestiebant postremae litterulae, quas fere ex aeternitatis limine ipsi rescripsit patruus amantissimus (14). Nec vicissim minus grati animi Mariam Theresiam criminari audebimus, quae et Sancti Doctoris epistolas cum veneratione custodivit et secum anno 1808 in monasterium S. Gregorii Armeni, vulgo « S. Liguoro », portavit devotissimam B.M.V. de Bono Consilio effigiem, olim a S. Alfonso dono — non sine ingenua puellae lusione — acceptam (15), deinceps usque ad hodiernos dies in tribuna (*coretto*) eiusdem ecclesiae servatam (16).

FIORENTINO Antonio; *16 IV 1746 Napoli, *ammesso al noviziato* 16 II 1765, *prof.* 16 II 1766 S. Angelo a Cupolo, † 1810 in Sicilia. - Cat. I 28^v; AG XXXVIII B 50; KUNTZ, *Commentaria* XVII 107-108. - *A* ottobre 1775; *R* estate 1777 (?); andò di nuovo in Sicilia verso la fine del 1805 come Maestro del noviziato che allora si aprì a Uditore (Lettera di R. Barba al P. Tannoia del 26 XII 1805 - AG XXXVIII B 17).

INFANTE Matteo; *16 I 1749 Marina di Vietri (arcidioc. Salerno), *ammesso al noviziato* 8 IX 1769, *prof.* 7 IX 1770 S. Angelo a Cupolo, † 8 II 1812 Pagani. - Cat. I 30; AG XXXIX 70; KUNTZ, *Commentaria* XIV 235-236, XVII 217-218. - *A* ottobre 1775; *R* 1780 (?).

PAPA Vito Antonio; *9 V 1741 Aita (dioc. Cassano), *ammesso al noviziato* 17 VII 1757, *prof.* 16 VII 1758 Ciorani, *uscito* 1785 (?). - Cat. I 21^v; AG XXXIX 135; KUNTZ, *Commentaria* V 482. - Non sappiamo con certezza né quando sia andato in Sicilia né quando sia partito, forse verso il 1779; ma vi si trattenne poco tempo.

Mentre i Padri napoletani mandati da S. Alfonso si avvicendavano nel Collegio agrigentino, si veniva formando una schiera di Padri siciliani, di cui già se ne contavano cinque alla morte del Fondatore e al tempo in cui il P. Blascucci scriveva la presente *Relazione*. Ecco i nomi:

GARZIA Biagio; vedi nota 53. - *Prof.* 1771; *Q* nei due Collegi di Agrigento e di Sciacca.


GIATTINI Vincenzo Antonio; vedi *Spic. hist.* 2 (1954) 250, n. 63. - *Prof.* 1778.

FRANGEAMORE Pietro; 1746 Casteltermini (Agrigento), *prof.* 1779 (?) Agrigento, † 11 VI 1818 Uditore. - *Q* nei due Collegi di Sciacca e di Uditore. Partecipò al Capitolo generale del 1793 come Rettore del Collegio di Sciacca (*Acta integra Cap. gen.* 90) e a quello del 1802 come Rettore del Collegio di Agrigento (*l.c.* 192).

DISPARTE Giuseppe; *1749 Vicari (Palermo), *prof.* 1779 (?) Agrigento, † 7 II 1812. - *Q* nei due collegi di Sciacca e di Uditore. - Partecipò al Capitolo generale del 1793 come vocale della Casa di Sciacca (*Acta integra Cap. gen.* 90).

PORTALONE Rosario; vedi *Spic. hist.* 2 (1954) 267, n. 134. - *Prof.* 1782; *Q* nel Collegio di Sciacca. - Partecipò al Capitolo generale del 1793 come Vocale della Casa di Agrigento (*Acta integra Cap. gen.* 90), al Capitolo generale del 1802 come Vocale della Casa di Sciacca (*l.c.* 102), a quello del 1817 come Rettore del Collegio di Agrigento (*l.c.* 208) e all'altro del 1824 come Vocale della stessa casa (*l.c.* 251).

**COMMUNICATIONES
NOTITIAE BIBLIOGRAPHICAE**



COMMUNICATIONES

ANTONIUS MEIBERG

SANCTI ALFONSI DE MISSIONIBUS AUSTRIACIS EFFATUM

Delectabilia semper fuerunt Redemptoristis transalpinis verba illa, quae s.um Alfonsum, primis sodalibus nostris in Austriam reddituris, edixisse refert P. Tannoia: « Deus per illos gloriam suam in illis regionibus propagare non omittet » (1). Sed s. Pater alia non minoris momenti verba addidit de Missionibus in imperio austriaco, verba quae a plerisque historicis nostris non omnino recte intellecta esse videntur; ordinarie enim asserunt, s.um Alfonsum admisisse, vel potius commendasse et adprobasse rationem Missionum habendarum in partibus transalpinis, a ratione neapolitana plus minusve differentem. Haec autem interpretatio cogitatum s.i Alfonsi non recte reddidisse nobis videtur, placuitque propterea, aliam rei magis conformem suadere.

Refert Tannoia, Clementem Hofbauer et Thaddaeum Hübl, « questi buoni tedeschi », desiderio arsisse, domum nostram in ipsa urbe capitali Wien fundandi, quinimo eam pro iam stabilitam habuisse. « Unusquisque nostrum — pergit Tannoia — de domo illa ridebat, quam Patres in Statibus Pontificiis per somnum videbant ». Non ita Alfonsus. Cum sancta duorum illorum Germanorum desideria intellexisset, extremo de illis gavisus est, dicens :

« Iddio non mancherà propagare per mezzo di questi la gloria sua in quelle parti. Mancando i Gesuiti, quei luoghi sono mezzo abbandonati. Le Missioni però sono differenti dalle nostre. Ivi giovano più, perché in mezzo de' Luterani e Calvinisti, i Catechismi, che le prediche. Prima devesi far dire il *Credo*, e poi disporsi i popoli a lasciare il peccato. Possono farvi del bene questi buoni Sacerdoti, ma hanno bisogno di maggiori lumi » (2).

Haec sunt verba s.i Alfonsi, prout Tannoia ea nobis tradidit. Quoad interpretationem, a pluribus nostris historicis datam, uti iam innuimus, duo puncta notanda sunt.

(1) [A. TANNOIA], *Della Vita ed Istituto ... III*, Napoli 1802, 148 (Lib. IV, cap. 29).

(2) *Ibid.*

1. - Aliqui, ut Haringer (3), Pichler (4), Hofer (5), et alii, verba s.i Alfonsi transscribentes, omiserunt propositionem illam « mancando i Gesuiti, quei luoghi sono mezzo abbandonati (suppressis Jesuitis, loca illa sunt semiderelicta) » (6), quae constantem mentem s.i Fundatoris clare demonstrant, imprimis a nostris succurrentum esse populis magis derelictis.

2. - Alterum vero punctum gravius est. Plerique historici nostri transalpini verba subsequentia « Le Missioni però sono differenti dalle nostre », interpretantur quasi fuissent *norma directa et practica* de Missionibus a nostris in Austria faciendis, et quidem cum systemate diverso a neapolitano, seu genuino nostro.

Iuvat nonnullos e praecipius nostris scriptoribus adducere.

M. Haringer sic interpretatur: « Dort werden sie die Missionen aber anders halten müssen als hier » (7); C. Dilgskron: « Die Missionen werden dort freilich anders aussehen müssen » (8); similiter A. Innerkofler (9); item A. Pichler (10), J. Hofer (11), E. Hosp (12). P. Claessens, praelatus saecularis, ita verba reddit: « Cependant les missions qu'on y fera, devront différer de celles d'Italie » (13). Sic etiam A. Berthe noster: « Dans ces pays les missions devront être différentes des nôtres » (14). Eodem modo G. Laslier (15), J.L. Jansen (16), et nuper P. Bernards: « Men zal in die streken de missies zeker anders moeten preken dan wij in Italie doen » (17).

Non obstante tali nube testium, quam facile augere licebit, interpretatione haec non est admittenda. Re vera, s. Pater non loquitur de Missionibus a nostris *in futuro* in regionibus septentrionalibus praedicandis, quasi normam tradens in posterum ibi sequendam, sed *statum historicum tunc praesentem* enuntiat, sibi bene notum, quem — uti par est — non potuit non approbare. Verba enim s.i Alfonsi non vertendi sunt, ut historici nominati faciunt: « *Missiones autem differentes ERUNT a nostris* », sed potius: « *Missiones autem SUNT a nostris differentes* ». Itaque, quoad sciam, unicus inter historicos transalpinos Card. Villecourt rectam dabat interpretationem illorum ver-

(3) M. HARINGER, *Das Leben des ehrw. Dieners Gottes Clemens M. Hofbauer²*, Regensburg 1880, 22.

(4) A. PICHLER, *Der hl. Alfons von Liguori. Ein Charakterbild*, Regensburg 1922, 364.

(5) J. HOFER, *Der hl. Klemens M. Hofbauer²⁻³*, Freiburg/Brsg. 1923, 42-43.

(6) In periodico batavo *Ministerium Verbi* 2 (1940) 83-84 Een uitspraak van sint Alfonso Pater L. Dankelman reprehendit illam omissionem, quod ex verbis subsequentibus absolute positis latiores ducantur conclusiones. Vertendo illud « però » per « ideo, propterea », nexus causalem supponit. Quoniam vero illud « però » per « autem » hic vertendum esse putamus, illam omissionem non tanti aestimamus.

(7) HARINGER, *l.c.*

(8) C. DILGSKRON, *Leben des hl. Bischofs und Kirchenlehrers Alfonsus M. de Liguori II*, Regensburg 1887, 345.

(9) A. INNERKOFLER, *Der hl. Klemens M. Hofbauer²*, Regensburg 1913, 51.

(10) PICHLER, *l.c.*

(11) HOFER, *l.c.*

(12) ED. HOSP, *Der hl. Klemens M. Hofbauer*, Wien 1951, 30.

(13) P. CLAESSENS, *Vie du vén. Clément M. Hofbauer*, Bruxelles 1875, 56.

(14) A. BERTHE, *Vie de S. Alphonse M. de Liguori II*, Paris 1900, 559.

(15) G. LASLIER, *Un apôtre précurseur. S. Clement M. Hofbauer*, Paris 1909, 52.

(16) J. L. JANSEN, *Leven van den H. Alfonsus M. de Liguori*, Roermond 1910, 378.

(17) P. BERNARDS, *S. Alfonsus als volksmissionaris: Ministerium Verbi* NR 9 (1955) 95.

borum, sic vertendo : « Les missions dans ces pays-là ne se font pas comme les nôtres » (18); eandem versionem accepit etiam J. Dujardin (19).

Quodsi inquiritur, curnam nostri transalpini plerique textum illum non recte interpretati sint, ratio petenda esse videtur ex eo, quod textum originalem italicum vel nullatenus vel non diligenter inspexerint, ex altera parte probabiliter ex eo quod historiam Missionum in Austria non bene noverint.

Miramur vero, s. um Alfonsum rationem Missionum austriacarum tam bene novisse ! Post Missiones enim « poenitentiales » (Bekehrungsmissionen), a PP. bus C. Maillardoz (helveticis), et Christophoro Müller (tirolensi, e Brixen, nunc Bressanone), utroque e Societate Iesu, in imperium austriacum introductas, et praesertim in Bohemia et in Tirolide ab ipsis aliisque multis Iesuitis maximo cum successu per plura decennia praedicatas, ultimo per 25 circiter annos viguerunt in Austria Missiones « catecheticae », a P.e Ignatio Parhamer SI introductae, quae etiam post suppressam Societatem per decennum saltem praedicari continuabant, id est, fere usque ad ingressum s.i Clementis et P.is Hübl in Congregationem nostram (20). Haec forma Missionum ab ipso Gubernio fovebatur usque ad adventum systematis Iosephinismi extremi, quando Missiones penitus abrogatae et interdictae sunt.

Hae Missiones nomen « catecheticarum », vel etiam secundum modum s.i Francisci Regis obtinebant, quia in illis institutio catechetica primatum habuit. Quamvis ceterum naturam Missionum vulgatarum in pluribus exercitiis retinebant (cotidie fiebant 4 conciones de veritatibus salutis et de exercitiis vitae christiana, conciones vespertinae de gravioribus tractabant argumentis), reliquae tamen ut plurimum didacticam habebant naturam. Post recepta Sacra menta omnium statuum, fideles in diversas turmas ceu centuriones inserebantur; professio Fidei Tridentinae quasi militare erat sacramentum (21). S. Alfonsus optime describit rationem illius modi peculiaris Missionum, cum dicit : « Ibi utpote inter Lutheranos et Calvinistas, magis iuvant catechismi, seu instructiones de veritatibus Fidei, quam conciones ordinariae de veritatibus salutis in genere. Primum oportet procurare *Credo*, et deinceps disponere populum ut a peccato desistat ».

His itaque expositis, concludendum esse videtur, s. um Alfonsum, cum verba a P.e Tannoia nobis tradita ediceret, revera Missiones austriacas modo catechetico potius instructas ob oculos habuisse, non autem de futuris Missionibus Redemptoristarum locutum fuisse.

(18) C. VILLECOURT, *Vie et Institut de S. Alphonse M. de Liguori IV*, Paris 1864, 210.

(19) *Oeuvres complètes de S. ALPHONSE DE LIGUORI*, traduites ... par L. J. DUJARDIN, Tournai 1856 ss., XII 472, XVI 86.

(20) L. KOCH, *Jesuiten-Lexikon*, Paderborn 1934, col. 1376-1378 Ignaz Parhamer. Illam historiam adumbravimus in opere : *Historiae missionis paroecialis lineamenta* cap. XI. Opus jam exente anno 1954 absolutum, absolutionem multiplicationis dactylographicae expectat. De Missionibus austriacis huius temporis RP Liebhart noster opus egregium e fortibus primigeniis haustum paravit, cui inscribitur *Maria Theresia und die Volksmissionen im Gebiet des heutigen Österreich*.

(21) Cfr Fr. HATTLER SI, *Missionsbilder aus Tirol*, 1899, 76; B. DUHR SI, *Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge* IV 2, 190 ff.

JOSEPHUS LöW

DE PRECATIONE PRO « INFANTIBUS NONDUM NATIS »
VEL « NONDUM BAPTIZATIS » NOTITIUNCULA.

In commentariis theologicis qui inscribuntur *Trierer theologische Zeitschrift (Pastor bonus)* 66 (1957) 114-116, clar.mus BALTHASAR FISCHER (1) brevem intulit notitiam *Die Kanzelfürbitte für die hoffenden Frauen*, quae ansam dedit huius notitiunculae.

Paucis restringamus quae doctus auctor, allegatis eruditis scriptoribus, exponit (2).

In multis regionibus, tempore medii aevi et usque ad nostra tempora, usus viguit, post dominicalem praedicationem cum populo in forma litanica preces recitare pro omnibus Ecclesiae et populi christiani necessitatibus. Inter invocationes huius litaniae ordinarie inventa est etiam una pro matribus praegnantibus, quod idem est ac pro infantibus nondum natis.

Manuale Curatorum parochi ULRICI SURGANT (Basel), an. 1502, hanc exhibet formulam :

Fur all schwanger christen rawen, das sy unser herr genediglich entbind, und inen verleyhe ein froelichen anblick irer geburt, und der frucht das heilig Sacrament des tauffs (*Latine* : Pro omnibus matribus praegnantibus, ut Dominus noster ipsis concedat felicem partum, et laetum aspectum prolis, ac natis sacrum sacramentum baptismatis).

In Francogallia hic usus iam ex saec. XIV traditus est; in urbe capitali Paris precatio litanica dominicalis sic sonabat :

Aprez nous prierons dieu pour toutes femmez grossez d'enfant; que nostre seigneur les vueille délivrer a joie et restituer a bonne santé et le fruit de leurs ventres amener a fants de baptesme et que dieu en puisse estre servi, loé et honnoré (*Latine* : Nunc precamur Deum pro omnibus matribus praegnantibus, ut Dominus noster concedat illis felicem partum et restituat ipsis sanitatem, et conduceat natos ad fontem baptismatis, et ut Deus possit serviri, laudari et honorari).

Etiam e regionibus anglicis similes invocationes notae sunt. Hic usus tempore sic dictae Reformationis in servitiis dominicalibus religiosis conservatus est.

(1) Fischer Balthasar, rerum liturgicarum cultoribus bene notus, professor est in pontificia Facultate theologica apud Seminarium maius civitatis et diocecos in Trier, Germania, excultus in celebri schola liturgica quae Magistro clar.mo P.e J. A. Jungmann SI in Innsbruck florescit

(2) Non credimus necessarium esse, ex articulo de quo agimus etiam auctores citatos transscribere. Textum e *Liturgia Apostolorum* desumptum invenies etiam in opere magis diffuso C. KIRCH - L. UEDING, *Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae*⁵, Freiburg 1951, n. 687.

Omnibus perpensis, videtur agi de usu per magnam partem Europae diffuso et notabili antiquitate insigni.

Auctor, de origine huius usus inquirens, hanc promit notitiam: iam in precibus communibus seu solemnibus quae habentur in sic dicta *Liturgia apostolica*, quae exhibit usum liturgicum antiochenum circa an. 380, similis invenitur precatio seu invocatio:

Τπερ τῶν ἐν σεμνοῖς γάμοις καὶ τεκνογονίαις (Latine: Pro iis qui in nuptiis honestis ac in progeneratione liberorum degunt).

Eruditus scriptor possibilitatem saltem insinuat hanc invocationem liturgiae orientalis — sicut non pauca alia — paulatim in usum occidentalem transiisse. Nec excludit, radices huius usus inveniri posse in precationibus similibus Synagogae vel etiam sic dicti Hellenismi.

Utcumque res se habeant, invocatio pro matribus praegnantibus, et consequenter pro infantibus nondum in lucem editis, medio aevo sat diffusa, supervixit usque ad medietatem saltem ultimi saeculi, quando, influente rationalismo moderno, disparuit. In ecclesia anglicana vero usque ad nostros dies haec servatur invocatio:

That it may please thee to preserve all that travel by land or by water, all women labouring of child, all sick persons and young children (Latine: Ut custodire digneris omnes itinerantes terrâ marique, omnes mulieres praegnantes, omnes aegrotos omnesque parvulos).

Brevem, sed densam expositionem Rev.mi D.ni Fischer — quam modo paucis verbis resumpsi — perlegenti, in mentem mihi venit illa bonorum operum applicatio quae in nostris precibus vespertinis pro feria quinta habetur, qua edicitur hanc fieri, inter alia, etiam « pro infantibus sacro baptismatis fonte nondum regeneratis ».

Ii ex nostris qui iam ante Capitulum gen.le an. 1921 in Congregatione vixerunt, recordabuntur, tunc formulam enuntiationis mutatam fuisse; antea enim ita sonabat: « pro infantibus qui in utero matris vivunt ».

Sed haec quoque formula non est primitiva. Temporibus enim s.i Alfonsi longior adhibita est enuntiatio intentionis, quae etiam vicinior est in invocationibus, quas e studio D.ni Fischer supra excerptsimus. Placeat nunc, in nostris documentis ordinatim inspicere quomodo applicatio bonorum operum pro feria quinta, inde a prima notitia quam possidemus, proposita fuerit.

Textus qui sequuntur, ordine chronologico dispositi sunt; propositum ipsum precandi *pro infantibus nondum natis* prima vice habetur in Constitutionibus sanctimonialium Ss.mi Salvatoris, quae originem ducunt ex scriptis ven. M. Crostarosa, sed quae manu episcopi Falcoia et s.i Alfonsi revisionem subierunt. Idem propositum transiit deinde in Constitutiones nostras, formula tamen variis modis pertractata est; ordinarie locum retinuit inter varias applicationes bonorum operum quae inter preces vespertinas pro die sequenti enuntiari solebant; invenitur etiam (n° 3) occasione sortitus intentionum initio novi anni instituendi, vel (n° 4 et 5) occasione disciplinae, quae tunc quater in hebdomada facta est. Non intendimus — uti evidens est — hac occasione tentare historiam nostrarum Constitutionum, nec colligere omnes quascumque recensiones eiusdem textus. Damus vero formulas, ad substantiam quod pertinet, omnes.

1. *Regola di Cava.* - Arch. Abbatiae Cavensis. Cancelleria, Cod. art. 22.

Est codex manuscriptus qui continet regulam monialium OSSR, quam ven. S. Maria Crostarosa Abbati Cavensi (Cava) praesentavit pro approbatione monasterii in pago Roccapiemonte. Litterae praesentationis datae sunt 28 XI 1735.

Costituzione ottava
Dell'Orazione e Presenza di Dio

Questo Istituto aiuterà con le sue orazioni alla salute dell'anime, contribuendo ad ogni stato di persone, a quest'effetto la Superiora tutte le sere all'Ubbidienza farà memoria alle Religiose a chi se debbono applicare gl'esercitii spirituali del seguente giorno:

[...]

Il giovedì: per tutte l'anime del Purgatorio, per l'anime agonizzanti, per li bambini che sono nel seno delle loro madri, acciò il Signore li faccia degni del S. Battesimo, e per tutte l'anime innocenti, acciò si conservino in grazia.

2. *Regula monialium Ss.mi Salvatoris, Scala.* - Arch. Monasterii OSSR Scala.

Codex cartaceus, cum textu Regulae incompleto, cui unitur brevis descriptio exercitiorum spiritualium, quas P. Ludovicus Sabbatino (e Congregatione Piorum Operariorum) praedicaverat, 4 XI 1739.

Costituzione sopra la Regola dell'Orazione e Presenza di Dio.
[...]

Questo istituto aiuterà colla orazione alla salute delle anime, contribuendo ad ogni stato di persona, e a questo effetto la Superiora tutte le sere al ubbidienza farà memoria alle religiose, a chi si devono applicare l'esercizii spirituali dell'giorno seguente.

[...]

Il Giovedì per tutte l'anime del purgatorio, per l'anime agonizzanti, per li bambini, che sono in seno alle loro Madri, acciò il Signore le faccia degni del S. Battesimo, e per tutte l'anime innocenti, acciò si conservano in grazia.

3. *Idea dell'Istituto del SS. Salvatore.* - Arch. prov. Pagani Man. 61, n° 49.

Fasciculus manu P. is Ioannis Mazzini exaratus, ann. 1743 vel 1744, occasione fundationis Collegii in Pagani.

[Regula I, de Fide]

[...]

Nel principio dell'anno ognuno caverà a sorte da una bossola un bollettino, ove sia scritto qualche Regione, o Paese d'Infedeli, o Eretici; acciò prenda a petto per tutto quell'anno la conversione di quelli a forza di orazioni, e mortificazioni. Preghino ancora istantemente S.D.M. per tutti li bambini, che sono nel seno delle Madri, perché si degni portarli felicemente al rinascimento del santo Battesimo, acciò non muoiano senza quella Fede infusa, e quella grazia, nella quale possino conseguire l'eterna salute.

4. *Direttorio degli Esercizi del Giorno, e della Settimana.* - AG SAM IX 24. *Fasciculus manuscriptus, cum adnotationibus s.i Alfonsi.*

Esercizj che si praticano fra la Settimana.

I° Vi saranno quattro Discipline la Settimana, cioè Lunedì, Mercoledì, Venerdì, e Sabato, e si faranno nel seguente modo, videlicet: Prima si dice il Veni Sancte Spiritus [...]. Esse discipline si faranno il Lunedì per l'Anime del Purgatorio. Il Mercoledì per l'Esaltazione e Dilatazione di S. Chiesa, Conversione degl'Infedeli, ed Eretici, e Scismatici, e pace fra' Prencipi Cristiani. Il Venerdì per la Sodisfazione de' propri peccati, e per la Conversione de Peccatori, e per quelli, che sono per passare da questa vita. Il Sabbatho per gl'Innocenti, acciò non perdano l'innocenza, e per li Bambini non battezzati, acciò arrivano a ricevere il S.to Battesimo, e per l'aumento di Spirito nella Religione.

5. « *Regole grandi* ». - AG SAM IX (post 20 IV 1743).

Regola XI Dell'orazione.

Costituzione sopra la Regola dell'Orazione.

Quest'istituto ajuterà colle suo orazioni il prossimo, contribuendo ad ogni stato di persone, e perciò il Superiore, come è stato detto, farà memoria la sera all'ubbidienza, per chi si devono applicare gli esercicij spirituali del giorno seguente.

[...]

Il Giovedì: per le anime del purgatorio, per gl'agonizzanti e per tutti gl'innocenti, penitenti e per gli bambini che sono nel seno delle madri, pregando il Signore, a liberare le anime purganti, ad assistere all'agonizzanti colla sua santa grazia, e conservare gl'innocenti e penitenti nello stato di grazia, e degnarsi dare l'acqua del Santo Battesimo alli nascenti (3).

6. *Regola di Conza.* - Arch. Prov. Pagani (ante 24 II 1748).

Textus partim idem ac in « *Regole grandi* » (supra n° 5).

Costituzione sopra la Regola della Mortificazione.

[...]

Adunque per mortificazione del proprio corpo, e per imitare i flagelli di Giesù Cristo, si daranno quattro volte la Settimana la disciplina in secco [...] Finite [le orazioni], termina la disciplina. E fra tanto ogn'uno si accomoda, si diranno tre Pater e tre Ave per la Felicità ed Esaltazione di S.ta Chiesa, e salute e grazie per il Sommo Pontefice, per la Conversione de' peccatori, Eretici ed Infedeli, per la grazia della Perseveranza nellì Giusti, e negl'Innocenti, per la grazia che arri-

(3)Textum exscripsimus ex originali; adeo etiam textus typis impressus in *Analecta* 7 (1928) 229. - Cfr etiam R. TELLERÍA, *De Capitulo an. 1764 Nuceriae Paganorum* (Pagani) celebrato necnon de eiusdem Constitutionibus adnotationes historicae; *Spic. hist.* 1 (1953) 255, n. 18.

vino al santo Battesimo i Bambini, che sono nell'utero delle Madri, e per la salute e grazia del nostro Re, per la felicità del nostro Regno, per la pace e concordia fra Prencipi Cristiani, per lume e grazie per li Prelati di S.ta Chiesa, e per quelli che attendono alla Salute delle anime fra gl'Infedeli e fra Fedeli, e per li nostri Parenti e Benefattori, vivi e defonti. Ne questo s'ha da dire, ma basta che l'Ebdomadario dica: *Tre Pater e tre Ave* per quelli siamo tenuti a pregare; ma si tenghi una tabella nel luogo ove si fa la disciplina, nella quale siano ascritti questi generi di persone ed anche qualche insigne Benefattore [...].

Enuntiatio intentionis pro feria V, dicenda inter preces vespertinas, eadem est ac in « Regole grandi », supra n° 5.

7. *Costituzioni per le monache de' monasteri del SS. Redentore, il primo de' quali è stato eretto nella città di Scala, Napoli 1764, pag. 16-17.*

Costituzione VIII. Dell'orazione.

La Superiora nel dare l'ubbidienza la sera, farà memoria per chi si devono applicare gli esercizj del giorno seguente, come si nota qui sotto :
[...]

Giovedì per li quattro stati delle Anime, purganti, agonizzanti, innocenti, e per i bambini che sono nel seno delle loro Madri, pregando il Signore, che loro faccia ricevere il santo Battesimo.

8. *Constitutiones capitulares an. 1764. - Excerptum ex Codex Regularum et Constitutionum CSSR necnon Statutorum a Capitulis gen. bus annis 1764, 1855, 1894 editorum, Roma 1896, pag. 187, n° 405.*

Giovedì. Per tutti gl'innocenti, penitenti, agonizzanti ed anime purganti e per tutti i bambini che sono nel seno delle loro madri.

9. *Constitutiones et Regulae Congregationis sacerdotum sub titulo Ss.mi Redemptoris. Ex idiomate italico in latinum versae, Liége 1849, pag. 206.*

Die Iovis: Pro omnibus innocentibus, poenitentibus, animum agentibus, pro animabus, quae in Purgatorii flammis expiantur, et pro infantibus, qui in utero matris vivunt.

10. *Statuta Capituli Generalis Romae an. 1855 celebrati. - Habentur in Codex Regularum (ut supra n° 8), pag. 541, n° 1653.*

Textus Constitutionum an. 1764 immutatus mansit; adhibetur versio latina editionis de Liége (n° 9).

11. *Constitutiones et Regulae Congregationis sacerdotum sub titulo Ss.mi Redemptoris, Roma 1861, pag. 152 (NB. Numeri currentes in hac editione non sunt adhibiti).*

Est editio « typica », post Capitulum gen.le an. 1855 parata. Exhibit, ut planum est, circa argumentum nostrum, textum supra n° 8 excerptum, seu versionem latinam textus an. 1764.

12. *Constitutiones et Regulae Congregationis sacerdotum sub titulo Ss.mi Redemptoris*, Roma 1895, pag. 198, n° 451.

Est altera editio « typica », post Capitulum gen.le an. 1894 exarata. Quoad argumentum nostrum, nihil mutatum.

13. *Acta Integra Capituli gen.lis XII CSSR Romae celebrati an. 1921*, Roma 1922, pag. 74.

Textus applicationis operum bonorum feria V in ultimis verbis sic mutatus est :

...expiantur, et pro infantibus sacro baptismatis fonte nondum regeneratis.

14. *Constitutiones et Regulae Congregationis sacerdotum sub titulo Ss.mi Redemptoris*, Roma 1923, pag. 265, n° 431.

Textus completus, an. scil. 1764, cum emendatione an. 1921, sic sonat :

Feria V. Pro omnibus innocentibus, poenitentibus, animum agentibus, pro animabus quae in Purgatorii flammis expiantur, et pro infantibus sacro baptismatis fonte nondum regeneratis.

15. *Constitutiones et Regulae Congregationis sacerdotum sub titulo Ss.mi Redemptoris*, Roma 1936, pag. 267, n° 431.

Textus immutatus ut supra n° 14.

Verum propositum applicationis bonorum operum feriae quintae, prae-
sertim pro matribus praegnantibus et pro infantibus nondum natis (res quae
intime inter se cohaerent, et quarum summa in eo est, ut infantes ad gratiam
baptismi perveniant) optime deducitur ex prima formula, longiore et subtiliore; an. 1764, quamquam formula abbreviata sit, consilium dicendi manet
perspicuum; an. demum 1921, mens postulatoris qui mutationem proposuit,
ut videtur, ea fuerat, introducendi dictionem qua res omnino naturalis minus
directe exprimatur (4). Sed verborum mutatio tunc inducta ambitum eorum
auxit qui in applicatione bonorum operum includuntur : infantes enim, *fonte*
baptismatis nondum regenerati, ii quoque sunt, qui ex matris utero iamiam
feliciter enisi, tamen, vel parentum incuria, vel magis quia parentes non
sunt christiana fidei cultores, gratia baptismatis adhuc carent.

Sed, ut redeamus ad initium nostrae notitiunculae, seu ad factum illud,
vere mentione dignum quod clar.mus Dom. Fischer exposuit, de precatione
dominicali pro matribus praegnantibus olim multum diffusa, hoc demum
animadvertisendum est: s. Alfonsus (vel quivis ex eius primissimis asseclis,
qui certe non sine s.i Patris scientia formulas precum nostrarum composuit),
hanc intentionem peculiarem sponte vel ex proprio ingenio invenit, vel vige-
bat etiam in neapolitanis regionibus usus supradictus vel similis consuetudo?

Responsum dare hic et nunc non possumus. Necessae esset instituere in-

(4) Postulata a PP. bus Capitularibus Capitulo correcta non conservantur; notitiae autem in ipsis Capituli Actis datae rationem immutationis non indicant.

dagationem huius ipsius rei, num scilicet precatioes illius generis, cuius exempla quaedam adduximus, re vera etiam in Italia meridionali olim notae erant. Sed haec indagatio fieri potest tantum a quodam studioso rerum liturgicarum neapolitanarum, cui pateant libri, documenta, notitiae peculiares ad rem conducentes, quae nobis omnino deficiunt.

Sit haec brevis notitiacula invitatio ad rem ulterius investigandam!

JOSEPHUS LÖW

DE NOMINE ALFONSO ADDITAMENTUM

In primo anno nostrorum commentariorum de nomine Alfonso pauca exposuimus: e quibus verbis et e qua lingua repetendum sit, in qua regione primum invectum reperiatur, qua via et ratione in neapolitanos fines importatum sit (1).

Recentissime cl.mus vir Carolus Egger (2) per Societatem librariam « Studium » (Roma) edidit *Lexicon nominum virorum et mulierum*, cui Ex.mus Antonius Bacci, ab epistulis Pontificis Maximi *Ad Principes*, nobile praemisit elogium, die 1° ian. huius anni 1957 scriptum.

Placet ex hoc libro, maximo plauso a viris doctis et in re expertis accepto, transscribere quae auctor de nomine Alfonso habet.

ALFONSO (italice), ALPHONSE (gallice), ALONSO (hispanice), ALFONS (germanice): Alfonsus, Alfonsi, masc.

Nomen coaluit e priscis verbis Germanicis *adalfuns*, quorum prius *hominem nobilem*, alterum *paratum*, *pronum* significat. Vitiosus est ergo scribendi modus: Alphonsus, quasi e Graeco fonte nomen sit derivatum.

Sunt qui nomen Alfonsum derivatum volunt a nomine Ildefonso, vel saltem affinitatem duorum nominum proponunt. Qui etymologiam germanicam vel parum noscit (nomen enim Ildefonsus, sicut Alfonsus, e radicibus « visi-goticis » compositum est), quantum erronea sit et fundamento careat illa sententia, iam intellegit. Sufficiat adiungere quae cl.mus Egger in suo *Lexicon de nomine Ildefonso* habet.

(1) *Spic. hist.* 1 (1953) 114-118.

(2) EGGER Carolus, Canonicus regularis s.i Augustini, ex asceterio « Novacella = Neustift », Italia, provincia « Bolzano = Bozen », Procurator gen.lis Congregationis Canonorum regularium Ss.mi Salvatoris Lateranensium, Austriacae (cui pertinet, ex antique origine et historia, domus canonica Novacella = Neustift), et Ss.um Nicolai et Bernardi Montis Iovis (« Gran San Bernardo »); Rector Collegii internationalis romani Canonicorum regularium; S. Congregationis de disciplina Religiosorum Consultor; propter eminentem linguam latinam scientiam et experientiam Ill.mi D.ni Antonii Bacci in officio Epistularum Summi Pontificis *Ad Principes* Adiutor, omnibus latinitatis cultoribus optime notus, regimen quoque tenet periodici in Vaticanis aedibus editi *Latinitas*.

ILDEFONSO (italice), ILDEFONSE (gallice), ILDEFONSO (hispanice), ILDEFONS (germanice) : Hildefonsus, Hildefonsi, vel, ex usu Ecclesiae, Ildefonsus, Ildefonsi, masc.

Vitiosa autem omnino est exarandi ratio cum *ph* littera, quasi agatur de nomine Graecanico, cum sit e fonte Germanico derivatum. Atque etiam in vetere titulo (Diehl, 1906) *f* litteram, non *ph* est cernere (3).

Hoc nomen componitur e vocabulis Germanicis *hild* et *funs*, quorum altero *praelium*, altero *promptus* significatur; quapropter vir *promptus ad praelium* hoc nomine appellatur (4).

JOSEPHUS LÖW

« GLORIA PATRI IN HONOREM SANCTI FLORIANI ET SANCTAE AGATHAE ».

DE INVOCATIONE, EX ANTIQUA TRADITIONE TRANSALPINA, IN QUIBUSDAM PROVINCIIS HODIE QUOQUE CONSERVATA.

Constitutiones nostrae, sub n° 429, inter preces quae examen conscientiae vespertinum sequuntur, ponunt triplicem seriem doxologiae « Gloria Patri », « in honorem sanctorum patronorum nostrorum, in honorem s. Joseph et s. Caetani pro beneficiis Providentiae, et in honorem s. Alfonsi et sanctorum nostrorum ». In aliquibus provinciis Europae septentrionalis additur unum « Gloria Patri » « in honorem s. Floriani et s. Agathae ».

De hac peculiari invocatione pauca quaedam proponere libet.

I. DE SANCTO FLORIANO.

S. Florianus martyr authenticus est, an. 304, temporibus scilicet Diocletiani, in civitate Lauriacum, nunc Lorch, prope oppidum Enns in Au-

(3) E. DIEHL, *Inscriptiones Latinae christianaे veteres*, Berlin 1925-1931.

(4) Notamus ex.gr. e quibusdam aliis operibus quae hoc sibi proponunt ut nomina explicant, haec pauca de nomine Ildefonso :

E. WASSERZIEHER - K. LINNARTZ, *Hans und Grete. Zweitausend Vornamen erklärt*¹⁴, Bonn-Hannover-Stuttgart 1955, 43 : « Hildefons, westgotisch. Bedeutet kampfbereiter, williger Kämpfer. Entlehnung spanisch Ildefonso; er kam erst spät aus Spanien in seine Heimat zurück; in Spanien ist er beliebt im Andenken an den hl. Ildefons, Erzbischof von Toledo, † 667. »

RECLAMS *Namenbuch*² ed. TH. HERRLE, Leipzig 1941, 32. « Hildefons, Ildefons, althochdeutsch *hillja-funs*: zum Kampf bereit, willig. » - Cfr seriem nominum Hildebald, Hildebert, Hildebrand, Hildeger, Hildegrim, Hildemar, Hilderich, Hildewart, Hildewin. E contra: Alfons, Alfred, etc.

stria Superiore (Oberösterreich), cum aliis sociis quadraginta morte violenta oppressus. E ponte enim flumini Aniso (Enns) imposito in aquam praecipitatus est (1).

Notitia de martyre Floriano in primitivam recensionem sic dicti Martyrologii Hieronymiani recepta, in recensiones posteriores, et in Martyrologia « historica » transivit, ex quibus demum in Martyrologium romanum pervenit (2).

In loco autem non ita longe ab Aniso distante aevo merovingio, ut videtur, at certo carolingio (saec. VIII) sanctuarium prope sepulcrum martyris exsistebat, una cum cella seu monasteriolo, quod, superatis devastationibus et destructionibus Avarorum et Hunnorum, an. 1071, in Canonicorum regularium a s.o Augustino sedem conversum est, sub nomine ipsius martyris : Sankt Florian. Domus canonica et ecclesia, ut nunc conspiciuntur, inter celeberrima et magnificentissima artis monumenta quae « baroca » praedicatur, iure numerantur (3).

Cultus publicus et liturgicus s.i Floriani iam saec. IX sat diffusus erat; extendebat versus orientem, ope missionis ecclesiarum Passaviensis (Pas-

(1) Notitiae breves, totum argumentum complectentes, inveniuntur in melioribus collectionibus « encyclopaedicis »; sufficiat nominare paucas quasdam : F.G. HOLWECK, *A biographical Dictionary of the Saints*, St. Louis 1924, 390. - M. HERRWIESER, *Florian*: LThK IV (1932) 42-43. - A. AMORE, *Floriano (santo)*: Enc. Catt. V [1950] 1454-1455. - O. WIMMER, *Handbuch der Namen und Heiligen*, Innsbruck 1956, 193-194 *Florian*. - Überiores notitiae habentur ex. gr. apud E. TOMEX, *Kirchengeschichte Österreichs*, I *Alttertum und Mittelalter*, Innsbruck 1935, 30-32, cum adnotationibus et notitiae bibliographicis.

De nomine « Florianus » cfr ex. gr. C. EGGER, *Lexicon nominum virorum et mulierum*. Roma 1957, 76.

De civitate romana Lauriacum (Laureacum) consulantur opera quae archaeologiam classicam et historiam romanam provinciae « Noricum » describunt. - Notetur K. PRÜMM, *Religionsgeschichtliches Handbuch für den Raum der altchristlichen Umwelt*, Freiburg 1943, VII *Die Donauprovinzen*, cum bibliographia; Lauriacum 772, 787. - *Die bildende Kunst in Österreich*, I *Voraussetzungen und Anfänge* (ed. K. GINHART), Baden 1936, R. EGGER, *Die frühchristl. Kunst in Österreich* 123-136. - EUGIPPIUS, *Das Leben des hl. Severin* Linz 1947, Anhang R. NOLL, *Denkmäler des frühen Christentums in Österreich* 11-28. - Descriptio linearis historica archaeologica: vide in G. DEHTO, *Handbuch der deutschen Kunstdenkmäler*, II. Abteilung *Österreich*, 2 Wien, Niederösterreich, Oberösterreich, und Burgenland (ed. D. FREY - K. GINHART), Berlin - Wien 1935, 455-458 Enns.

(2) H. DELEHAVE et H. QUENTIN, *Martyrologium Hieronymianum*, *Textus et commentarius perpetuus = Acta Sanctorum Novembris*, tomii II pars posterior, Bruxelles 1931, 229-230. - H. QUENTIN, *Les Martyrologes historiques du Moyen Age*, Paris 1908, vide indicem. - H. DELEHAVE et socii Bollandiani, *Martyrologium romanum... scholitis historicis instructum = Propylaeum ad Acta Sanctorum Decembris*, Bruxelles 1940, 171. - H. DELEHAVE, *Les origines du culte des Martyrs*², Bruxelles 1933, vide indicem. - R. AIGRAIN, *L'hagiographie, ses sources, ses méthodes, son histoire*, Paris 1953, 38. - Passio in BHL 3054-3058; ed. B. KRUSCH in *Mon. Germ. hist. Script. rer. merov.* III 65-71.

(3) G. LöW, *Sankt Florian*: Enc. Catt. X [1953] 1780-1782. - *Die bildende Kunst in Österreich* II-V, Baden 1937-1939, passim. - G. DEHTO, *Handbuch der deutschen Kunstdenkmäler*, II. Abteilung *Österreich*, 2 Wien, Niederösterr., Oberösterr. und Burgenland (ed. D. FREY - K. GINHART), Berlin-Wien 1935, 559-566 *St. Florian*. - *Canonicorum regularium sodalitates* (ed. P. FANK), Vorau 1954, 74 *textus*, 72-74, 88 *imagines*. - Abundantes notitiae bibliographicae apud L.H. COTTINEAU, *Répertoire topo-bibliographique des Abbayes et Prieurés* II, Macon 1939, 2679-2680 *St. Florian*. - Existunt opuscula minora, quibus domus canonica et ecclesia cum suis artium operibus singillatim describuntur.

Celebritatem peculiarem addidit monasterio *Antonius Bruckner*, artis musicae heros eximius, et interpres organi subtilissimus; sub « suo » organo (« Brucknerorgel ») sepultus iacet ((† 1896).

sau) et Salisburgensis (Salzburg), usque ad planitem pannonicam (Hungaria), dum versus occidentem regiones penetrabat a tribubus germanicis Baiuvaris et Alamannis habitatos. Vel, si modernis nominibus limites cultus s.i Floriani designare praeferatur, iidem comprehendenterunt modernas respuplicas Sloveniam (Iugoslavia) et Austriam ex una parte, et ex altera regiones meridionales rei publicae Germaniae occidentalis, Alsatiam et Helvetiam linguae germanicae (4).

Mediae aetatis homines Florianum, quem ex Passione centurionem romanum fuisse noscebant, sub imagine « equitis » (chevalier, cavaliere, caballero, knight, Ritter) contemplari solebant, consociantes eum saepius in operibus artis cum s.o Georgio martyre. Factum est ut versus finem eiusdem aetatis et intra limites supra notatos s. Florianus ut equitum seu nobilium patronus et intercessor apud Deum valde potens habitus sit (5).

Hac eadem aetate, id est, versus finem saec. XV, dum tempora aurea « equitum » propter mutatas condiciones sociales et militares declinarent, s. Florianus novum patronatum adeptus est, semper inter limites geograficos supra indicatos, patronatum scilicet *contra ignem et incendia*. Immo, sub hoc novo titulo per saecula posteriora veneratissimus erat, imaginibus depictis vel sculptis per ecclesias multiplicatis. Insignis figura militis (« equitis »), qui ex vase quodam aquam super aedificium igne ardente effundit, invenitur etiam per domos et stabula. In tota illa regione Europae centralis, quam

(4) Non est hic locus, historiam texere operis missionis quod Passau et Salzburg saec. IX-XI exercerunt; consulantur libri historiae ecclesiasticae. Notatu dignum est, cultum s.i Floriani versus orientem omniwo iisdem limitibus continer quibus ipsum missionale opus. Potentiae sive religiosae sive politicae metropolitae salisburgensis, in illis saeculis expansionis missionariae usque ad portas Hungariae, recens inventum est magnificum testimonium: crypta et fundamenta ecclesiae cathedralis, a quinque navibus, quae in excavationibus huius anni (1957) in Salzburg, extra et intra ecclesiam cathedralem nunc existentem inventa sunt, et miram magnitudinem ac artis perfectionem tradunt. Auctor huius aedificii sacri, secundi in eodem loco, fuit archiepiscopus Liuphram (836-859), qui cum praedecessoribus et successoribus opera missionali apud Carantanos (Slavos) sedulo incubuit. - Populi originis slavi (Sloveni) libenter exceperunt cultum s.i Floriani, in cuius honore in illis regionibus multae exstant ecclesiae et oratoria, saepe super collum vel montium cacumina erecta, ut mos erat harum gentium.

Cuius opus fuerit cultum s.i Floriani versus occidentem evehere, non plane constat; forsitan monasteriorum qui inde a saec. VIII/IX in illis regionibus valde floruerunt. Ut unum tantum afferamus exemplum: in centro illo scientiae, liturgiae, artis quod fuerat Sankt Gallen (Helvetia), cultus s.i Floriani in libris liturgicis iam inde a saec. IX inventus habetur; cfr E. MUNDING, *Die Kalendarien von St. Gallen, aus 21 Handschriften, neuntes bis elftes Jahrhundert. I Texte, II Untersuchungen*, Beuron 1948-1951 = *Texte u. Arbeiten I, Heft 36, 38*.

Taceri non potest, cultum popularem et liturgicum s.i Floriani etiam per Bohemiam et usque in Poloniam evectum fuisse; reliquiae enim Sancti a Magno Duce Casimiro (1177-1194), qui in Krakow residebat, illuc allatae sunt, ea intentione ut s. miles patronus fieret contra incursions tunc periculosisssimas Tartarorum et Prussianorum aliarumque gentium paganorum. In Officio proprio Poloniae Florianus ita laudatur: « Sicut Ierusolyma Stephano, Roma Laurentio, ita suo gaudet Polonia Floriano ». - BHL 3059-3061, de translatione in Krakow.

(5) Aevo medio, maxime tempore bellorum sub signo Crucis versus Orientem gestorum, militia christiana floruit, et equites inter sanctos milites patronos sibi peculiares elegerunt, ut ex.gr. milites martyres legionis thebaicae, cum s.o Mauritio, qui — pro origine aethiopica, quam putavere — uti « morus » depingebatur, et ideo ad tutandos christianorum exercitus in terra orientali delectissimus apparebat; s. Georgium, quem artis magistri draconis victorem (iuxta legendam) exhibebant, — draco autem non solum ipsum Satanam, sed potestatem paganam, et specialiter mahometanam exprimebat; et nostrum Florianum, ut alios taceamus.

circiter delimitavimus, Florianus hodie quoque inter sanctos popularissimos numerandus est (6).

2. DE SANCTA AGATHA.

S. Agatha, virgo et martyr in Catania, civitate sicula, inter martyres veneratissimos antiquitatis christianaee connumeranda est. Passa est, ut communiter asseritur, sub Decio imperatore (249-251), sed eiusdem Passio seu Legenda saec. VI tantum a « fabulatore » quodam (ita clar. mus Delehaye) commixta est e variis elementis, de quorum authenticitate iudicium ferri vix potest. Narratio certe grandiloqua de tormentis a s.a virginē constantissime toleratis, animos populorum vehementer debebat movere; sed vix erui poterit vera ratio, propter quam cultus Sanctae tam rapide per universum fere orbem christianum divulgatus sit, nisi preeferas hanc rationem in patronatu s.ae Agathae contra ignem et incendia reperire quem antiquum fuisse infra notabimus (7).

Nomen s.ae Agathae inscriptum est iam in primitiva recensione Martyrologii Hieronymiani, et etiam in Calendario antiquo carthaginensi saec. VI, necnon — ut patet — in Martyrologiis « historicis » et, consequenter, in nostro Martyrologio romano (8).

(6) Qualis fuisset cogitationum progressio, vi cuius Florianus e patrono equitum in patronum adversus ignem et incendium converteretur, explanari potest, si mentem advertas ad genus mortis quo affectus fuit: in aquam enim detrusus est. Attamen per quasi mille annos nullum invenitur indicium patronatus contra ignem. Martinus Luther, qua occasione non recordor, dixisse vel scripsisse perhibetur, catholicos « recenter » Florianum in patronum contra pericula ignis recepisse.

Prima artis documenta quibus clare novum hoc patrocinium s.i. Floriani testificatur, post medietatem saeculi XV apparent, sed brevi tempore per omnem regionem sui ipius cultus multiplicantur. Cfr. K. KÜNSTLE, *Ikonographie der christl. Kunst*, II Ikonogr. der Heiligen, Freiburg 1926, 232-236. - J. BRAUN, *Tracht und Attribute der Heiligen in der deutschen Kunst*, Stuttgart 1943, 37-41.

Curiositas causa e studio F. HATHEVER, *Die Pfarrpatrozinien der Diözesen Österreichs*. (*Zeitschrift f. kath. Theologie* 72 [1950] 213-222) has numerorum notas transscribimus: in omnibus dioecesis austriacis habentur 27 ecclesiae paroeciales sub titulo s.i. Floriani (Salzburg et Innsbruck 1; Gurk-Klagenfurt 3; Wien 4; Sankt Pölten 5; Seckau-Graz 6; Linz, ubi locus martyrii et sepulturae s.i. Floriani invenitur, et ipsum monasterium canonicae Sankt Floriani, 7). Ecclesiae filiales et oratoria s.o. dicata non sunt numerata, multo minus altaria.

(7) Intentionis nostrae esse non potest, bibliographiam completam s.ae Agathae propone; notabuntur opera vel studia quaedam maioris momenti, vel quae expositioni nostrae magis convenient.

Incipiamus iterum cum collectionibus quibusdam « encyclopaedicis », e quibus notitiae quamvis breves, tamen quodammodo plenae exerpi possunt. - P. ALLARD, *Agathe* (Sainte): *Dictionnaire d'Archéologie et de Liturgie chrétienne* I, 1 (1907) 848-850. - A. DUFOURCQ, *Agathe* (Sainte): *Dictionnaire d'Histoire et de Géographie ecclésiastiques* I (1912) 909-910. - J.P. KIRSCH-A. STURM, *Agatha*: LTHK I (1930) 126-127 (Kirsch partem hagiographicam, Sturm partem quam « folkloristicam » vocant, scripsit). - M. SCADUTO-K. RATH-E. TOSCHI, *Agata*: *Enc. Catt.* I [1949] 432-436 (Scaduto partem hagiogr., Rathem partem iconographicam, Toschi « folkloristicam » scripsit). - H. DÖRRIE, *Agatha*: *Reallexikon f. Antike u. Christentum* I (1950) 179-184. - F.G. HOLWECK, *A biographical Dictionary of the Saints*, St. Louis 1924, 29. - O. WIMMER, *Handbuch der Namen und Heiligen*, Innsbruck 1956, 93-94 *Agatha*. - *Passio in BHL* 133-138. - De nomine « Agatha » cfr. ex.gr. C. EGGER, *Lexicon nominum virorum et mulierum*, Roma 1957, 6.

(8) H. DELEHAVE et H. QUENTIN, *Martyrologium Hieronymianum, Textus et commentarius perpetuus = Acta Sanctorum Novembris*, tomus II pars posterior, Bruxelles 1931, 78. - H. LIETZMANN, *Die drei ältesten Martyrologien*², Bonn 1911 = *Kleine Texte N° 2*, 6. - H. QUENTIN, *Les Martyrologes historiques du Moyen Age*², Paris 1908, vide indicem. -

In Sacramentariis antiquis saec. VII-X, sive pure romanis, vel gallicanis, aut mozarabicis, sive permixtis, Missa s.ae Agathae cum variis formulis habetur; item in ceteris libris liturgicis eiusdem temporis, ut sunt lectionaria, sermonaria, et alii (9).

Saltem ab initio saec. VI s. Agatha in ipsa Urbe nota erat, et in eius honore mox plures ecclesiae dedicatae sunt, inter quas notissima S. Agatha *Gothorum*, quam s. Gregorius Magnus ex ariano cultui catholico restituit. Idem summus Pontifex, ut perhibetur, nomen s.ae Agathae (et s.ae Luciae, alias martyris siculae) in Canonem romanum invexit, quod non deest etiam in Canone ambrosiano. In litanis quoque Sanctorum virgo catanensis invocatur, desideratur tamen in perantiquis litanis « commendationis animae » (10).

In toto occidente catholico, iam inde a saec. VII/VIII, s. Agatha, cum sis Petro (Paulo), Ioanne Baptista, Stephano, Laurentio, Martino, cultu liturgico simul ac populari, eximio sane modo honorata est. Haec venera-

DELEHAVE et socii Bollandiani, *Martyrologium romanum ... scholis historicis instructum = Propylaeum ad Acta Sanctorum Decembries*, Bruxelles 1940, 78.

(9) Veniam nobismet ipsis facimus praeterereundis librorum antiquorum liturgicorum mentiones particulares, scilicet editionum sacramentariorum, lectionariorum, sermonariorum aliorumque id generis, quippe qui ex una parte iis qui rerum liturgicarum expertes sunt, non necesse sit, ex altera parte longa nominum series nihil dicat iis qui ab his rebus extranei sunt. et quia — ut etiam hoc fateamur — bene novimus, in librorum collectionibus domum nostrarum opera peculiaria huius generis vix haberi possunt.

Hoc unum tantum memoriam volumus: M. FEROTIN, *Le Liber Mozarabicus Sacramentorum et les manuscrits mozabares*, Paris 1912, 129-132 *Missa in diem s. Agathae*; in aliquibus orationibus alluditur ad « ignes », « incendia », aliaque huiusmodi, ut « Deus qui ... cives suos a voracis ignis combustionibus liberat... », ut demonstremus, patronatum s.ae Agathae contra ignem et incendia antiquum esse. Sed de hoc loquemus infra.

(10) Ecclesiae s.ae Agathae in Urbe: E. DONCKEL, *Außerrömische Heilige in Rom*, Luxemburg 1938, 9-12. Prima ecclesia, Sanctae nostrae dicata, fuit illa a Papa Symmacho (498-514) in Via Aurelia, extra urbem, exstructa; missa s.ae Agathae in Sacramentario « gelasiano » sub die 5 II potest esse missa dedicationis, et dies festivus anniversarius ipsius dedicationis romanae. Recordatur auctor, an. 512 diem 5 II dominicam fuisse, diem scilicet quo iuxta morem tunc vigentem dedicationes siebant.

De ecclesiae s.ae Agathae Gothorum exstat magnifica opera collectiva: C. HUELSEN, C. CECCHELLI, G. GIOVANNONI, H. MONNERET DE VILLARD; A. MUÑOZ, *S. Agata dei Goti*, Roma 1924. Ricimer, magister militum, consul, exercitus dux, arianus, certe basilicam s.ae Agathae exornavit, communiter tenetum eum etiam fundatorem aedificii sacri fuisse, quod tunc forsitan exstructum esset an. 467-470. Gregorius Magnus, ut ipse attestatur, ecclesiam cultui catholicae reddidit, et hac occasione nomen Agathae in Canonem introduxit (cum s.a. Lucia).

De ceteris Urbis ecclesiis s.ae Agathae dicatis vide ex.gr. CH. HUELSEN, *Le Chiese di Roma nel Medio Evo*, Firenze, Olschki, 1927. - M. ARMELLINI-C. CECCHELLI, *Le chiese di Roma*, Roma 1942, vide indicem analyt. - R. VALENTINI-G. ZUCCHETTI, *Codice topografico della Città di Roma II*, Roma 1942, vide indicem. - H. DELEHAVE, *Les origines du culte des Martyrs*, Bruxelles 1933, 326 memorat episcopum Maximianum, in urbe Ravenna, cum ecclesiam s.i. Stephani dedicaret, ibi, inter multas alias, reliquias s.i. Floriani et s.ae Agathae deposituisse.

De insertione nominis Agathae in Canonem: E. HOSP, *Die Heiligen im Canon Missae*, Graz 1926, 205-214, 304-305. - V. L. KENNEDY, *The Saints of the Canon of the Mass*, Città del Vaticano 1938, 62, 67, 169-173 = *Studi di Antichità Cristiana* 14. - J.A. JUNGMANN, *Missarum sollemnia II Die Opfermesse*, Wien 1952, 309-322 *Nobis quoque*, 317-319 *Agatha*. - B. BOTTE-CHR. MOHRMANN, *L'Ordinaire de la Messe*. Texte critique, traduction et études, Paris-Louvain 1953, 84-85. - L. EIZENHÖFER, *Canon Missae Romanae*, Pars prior: *Traditio textus*, Roma 1954, 41 = *Collectanea Anselmiana. Series minor. Subsidia studiorum N° 1*. - P. BORELLA, *Il « Canon Missae » ambrosiano: Ambrosius* 1954, 225-257.

tio nec per mediam aetatem, nec tempore cultus atque humanitatis, quod «Barocco» audit, diminuta est, ut innumeris operibus artium et variis usibus religionis, pietatis, maxime popularis («folklore») clare testificatur (11).

Ultima ratio huius venerationis in eo ponenda esse videtur, quo s.a Agatha patrona potens habita sit in multiformalis periculis ignis atque incendiorum. In Passione, quae — ut innuimus — saec. VI compilata est, narratur, dum primum eius mortis anniversarium celebraretur, montem saepissime flamas eructantem qui civitatem Cataniam imminet et Aetna vocatur, periculose erumpisse; tunc pagani (ita!) ad sepulchrum martyris cucurisse atque cum velo suo, sarcophago virginis superposito (vel, ut alii volunt, cum ipso sepulchri coperculo) massis igneis obviamisse, quibus illico subsistentibus, periculum necessarium cessasse. Quomodo res se habeat, certum est, civitatem Cataniam multoties per saecula posteriora protectionem s.ae Agathae in repetitis similibus periculis expertam esse. Fama peculiaris potestatis s.ae martyris in periculis ignium et incendiorum adeo per crescerebat, ut etiam in formulis liturgicis protectio Sanctae explicite imploraretur (12).

(11) Non existit — quantum novimus — historia cultus s.ae Agathae, sicut, ex.gr. habemus historiam cultus s.i Nicolai, s.i Georgii, et varia studia peculiaria circa cultum aliorum sanctorum, saltem in certis regionibus vel dioecesis, aut circa partes ipsius cultus, ut sunt patrocinia, benedictiones, processiones, manifestationes pietatis popularis. Tamen, de diffusione et de continuatione venerationis erga s.am Agatham post aevum antiquum tanta et talia habentur documenta et monumenta, ut nullum de facto dubium remaneat. Qui in historia «locali» quam dicunt, aliquantulum versatus est, noverit quanta studia particularia, documentorum publications, aliaque id generis habeantur, in quibus nomen quoque s.ae Agathae variis modis recurrat.

(12) Catania, apud Graecos antiquos Katáne, apud Romanos Catina vel Catana, italice Catania, existebat iam saec. VIII a. Chr. n., et, quantunque decursu plus quam duo milium annorum bellis, expugnationibus, depraedationibus, rerum commutationibus tot tantasque calamitates perpessa sit, propter portum naturalem et situm opportunum in nostros dies usque florere non desiit. Propter viciniam montis fumum flamasque eructantem qui Aetna vocatur, saepius gravia pericula vel etiam destructionem experta est. Ita an. 121 a. Chr. n. montis eruptione quasi tota demolita est; et iterum an. 1669, 23 IV, quando e fissura longitudinis quasi 15 km, flumen massae incandescentes plures vicos urbis invasit. Accedunt pericula terrae in hac regione saepe tremantis; ex.gr. die 4 II 1669 (in ipsa vigilia festi s.ae Agathae!) urbs adeo devastata fuit, ut 15000 hominum perirent; die 11 I 1693 demum maximo motu terrae urbs plane deleta est; 2/3 habitantium, seu plus quam 18000 hominum, muris dirutis sepulti sunt.

In his periculis quasi continue imminentibus montis erumpentis et terrae tremantis cives Catanienses, ut supra diximus, s.am martyrem Agatham patronam caelestem peculiariter culti, religiosi et populari, inde ab antiquo prosecuti sunt. Ignibus e monte erumpentibus et fluminibus massae incandescentes ab eius lateribus descendantibus patrocinium hoc proprium s.ae Agathae adversus incendia et incendiorum pericula explicatur. Sic factum est etiam, ut patrona conclamata sit eorum qui campanas ecclesiarum fundunt et aeris candentes fluvios ad formas campanarum divertere debent; sic quoque intellegitur usus, campanas quae in periculis incendiorum pulsari solent, s.ae Agathae dedicandi, impressis saepe in campanis his litteris: MSSHEDEPL, seu initialibus celebris inscriptionis ad sepulchrum ipsius Sanctae: Mens Sancta, Spontaneus Honor Dei, Et Patriae Liberatio. In turri campanaria antiquae basilicae s.i Petri ad Vaticanum talis s.ae Agathae campana pendebat.

TIBERII ALPHARANI, *De Basilicae Vaticanae antiquissima et nova structura*, ed. M. CERRATI, Roma 1914 = *Studi e Testi* 26. - F. LANZONI, *Le diocesi d'Italia dalle origini al principio del secolo VII* (an. 604) II, Faenza 1927, 625-628 = *Studi e Testi* 35. - G. LIBERTINI, E. MAUCERI, G. PALADINO, *Catania: Enc. italiana IX* (1931) 426-430. - *Sicilia*, Milano 1953, 22 *Catania*, 476 ss.; 24 *Etna*, 513 ss. = *Guida d'Italia del Touring Club Italiano* 21. - *L'Italia fisica* Milano 1957, 112-114 *Etna*; 113 tabula cum delineatione fluminum massarum incandescentium, adiectis annis eruptionis = *Conosci L'Italia* 1.

Breviter: singularis veneratio popolorum versus s.am Agatham fundatum habet in patronatu quem valide exercere videbatur contra ignem, nec obliisci debet, pericula et damna incendiorum prioribus saeculis eo graviora fuisse, quo minus efficacia tunc erant adiumenta ad defendendum se ab igne et ad incendia repellenda (13).

In transalpinis regionibus — ut proprius ad rem accedamus, de qua nobis interest — potissimum in Germania meridionali, in Austria proprie dicta, et in territoriis vicinis s. Agatha saepe effingitur cum candela, saepe tortili, aut face, incensa vel etiam sine flamma, aut cum pane, vel etiam, sicut s. Florianus, cum aedificio igne inflammato. Populi enim illi, saltem a media aetate, amabant s.ae patronae offerre panes vel candelas peculiari eaedem Sanctae benedictione sacratas, vel has panes aut candelas in flamas iam exortas iacere; utebantur etiam scidulis cum imagine et invocatione eiusdem Sanctae (« Agathazettel ») ad praeservanda aedifica ab incendiis, vel ad incendia ipsa extingueda. Nec deest, ut accadere solet in similibus devotionis formis, aliqua species superstitionis, cum his rebus benedictis magica quasi vis adiuvandi adiudicaretur (14).

Ecclesiae s.ae Agathae per totam Italiam inveniuntur; non pauca loca ipsius vocantur nomine. Cfr ex.gr. *Annuario generale 1951* (ultima ed.) Milano, Touring Club Italiana, sub voce *Sant'Agata* (pp. 867-868), vel *Annuario delle Diocesi d'Italia 1951* (a cura della S. Congr. Concistoriale), Roma (typis Marietti, Torino), Indice delle Parrocchie, *Sant'Agata* (pp. 1517). - Curiosum est observare, in tota civitate et in tota dioecesi *Sant'Agata de' Goti* (olim s.i Alfonsi) nullam inveniri ecclesiam eaedem Sanctae dicatam.

(13) Ne nimis abducemur a nostra expositione, sufficiat pauca recordari. Augustus, cum construxit forum suum, versus Suburam, quae erat regio popularis, densissime ligneis casis aliquis tuguriis superstructa, altissimum erexit murum e saxis quadris « gabinis » et « piperinis », ut magnificas suas constructiones protegeret a crebris incendiis quae Suburam devastare continuabant, non obstante interventu « vigiliu », per stationes in tota urbe disseporum (Cfr G. LUGLI, *Roma antica. Il centro monumentale*, Roma 1946, 258). « Neronianum » incendium immensa damna Urbi intulit, quoniam opes adiutrices contra incendia maiora omnino impares erant; constructiones enim ligneae adhuc praevalebant, vel ligna in extruendis aedificibus popularibus multum impediebantur. Idem valet tempore aevi medii, in incursione Roberti Guiscard, Normannorum ducis, sub Gregorio VII (1084); regiones Urbis collinae a Caelio monte usque ad Esquilinum tunc adeo igne subversae sunt, ut usque ad recentiora saecula inhabitabiles remanerent.

Notum est, quantum in regionibus transalpinis late sumptis pertimescerent incolae civitatum oppidorumque aetatis mediae ignem atque incendia, quia praevalebat mos domos exstruendi ex lignis ibidem abundantibus. Non est ibi civitas maioris momenti quae non iterum atque iterum incendiis etiam gravissimis devastaretur, vel casu vel bello exortis. Idem valet de aedificiis praediorum in campis et montibus, saepe etiam a vicinis multum distantibus, ita ut incendia propriis viribus vix extingui possint.

His omnibus consideratis, facile comprehenditur, cur populi illi, temporibus quibus fides et religio adhuc vivissimae erant, fidenter ad auxilia sanctorum recurrent, patronosque inter eos sibi delegerent ad varios casus infotuniorum quibus faciliter exponebantur, eo magis cum remedia efficacia vel ignorabantur, vel praesto non erant.

(14) A. FRANZ, *Die kirchlichen Benedictionen im Mittelalter*, 2 voll., Freiburg 1909, vide indices. - K. KÜNSTLE, *Ikonographie der chrslli. Kunst*, II *Ikonographie der Heiligen*, Freiburg 1926, 37-39. - J. BRAUN, *Tracht und Attribute der Heiligen in der deutschen Kunst*, Stuttgart 1943, 37-41. - BÄCHTOLD-STÄUBLI, *Handwörterbuch des deutschen Aberglaubens*. I 208-212. - L.A. VEIT, *Volksfrömmes Brauchtum und Kirche im deutschen Mittelalter*, Freiburg 1936. - L.A. VEIT-L. LENHART, *Kirche und Volksfrömmigkeit im Zeitalter des Barock*, Freiburg 1956. - Consultant etiam varia opera quibus de « folklore » germanico religioso agitur, ut sunt diversae « Kulturgeschichten », quas singulas enumerare vix oportet.

Si quis de editionibus liturgicis (sacramentaria, benedictionalia, aliaque huiusmodi quae decursu huius studii allegata sunt) melius eruditiri desiderat, consulat ex.gr. Ph. Op-

Ne longus sim: in iisdem regionibus (et supra illas), quae peculiari cultu versus sum Florianum ut patronum contra ignem atque incendia praecelabant et adhuc praecellunt, s. Agatha quoque sub eodem titulo excolebatur et excoli continuatur.

3. DE INVOCATIONE « TRANSALPINA » SS.UM FLORIANI ET AGATHAE.

Initio diximus, in aliquibus provinciis nostris « transalpinis », vel, si magis placet, « centroeuropaeis », ex traditione sat antiqua, post invocationes a Constitutionibus inter preces examen vespertinum sequentes praescriptas, hanc peculiarem inveniri invocationem (15):

« Unum Gloria Patri in honorem sancti Floriani et sanctae Agathae ».

Haec invocatio nunc quoque usu est in sequentibus provinciis: austri-

PENHEIM, *Introductio historica in litteras liturgicas*², Torino [1945] = *Institutiones systematoco-historicae in sacram Liturgiam I*; vel M. RIGHETTI, *Manuale di storia liturgica I²*, Milano-Genova 1950, Capitulum « La letteratura liturgica ».

(15) Preces nostrae communes in genere, formam definitivam acceperunt in Capitulo gen.li an. 1749 (post approbationem pontificiam nostri Instituti). Die 6 X eiusdem an., in sessione romana, inter alia statutum est: « Si è letto ed approvato e stabilito un altro Regolamento, circa gli atti comuni da esercitarsi in casa da' Padri e Fratelli ». (*Acta integra Capitulorum generalium CSSR ab an. 1749 usque ad an. 1894 celebratorum*, Roma 1899, p. 18, N° 49). - Prima vice, quantum nobis datum est noscere, in Capitulo an. 1764, scilicet in Constitutionibus tunc conditis, praecisam formam precum communium habemus. Nostrum argumentum quod attinet, legimus: « Finalmente un'altra Ave secondo l'intenzione del P. Rettor Maggiore, e tre *Gloria Patri* in onore di S. Gaetano per la providenza ». (*Codex Regularum et Constitutionum CSSR necnon Statutorum a Capitulis gen.bus an. 1764, 1855, 1894 editorum*, Roma 1896, p. 186, N° 405). - Ternae *Gloria Patri* postmodum creverunt in triplum; an. 1824 ex accurate descriptione P. is Springer totius observantiae quotidiana, sicut tunc in domo generalicia Pagani exculta est, scimus, hanc fuisse formam « *Gloria Patri* »: « L'Eddomadario passa a proporre di onorare i Santi, dicendo ogni volta 3 *Gloria Patri*: 1° Al Santi nostri Tutelari; 2° A S° Giuseppe. A S° Gaetano. Per la Sta Providenza. 3° Al nostro Beato Padre ». (*Spic. hist.* 2 [1954] 323-324).

Post Capitulum gen.le an. 1855, quod erat romanum primum, et quod resumpsit pro Congregatione transalpina, tunc in Urbem transplantata, summam regularis observantiae ad tramitem Constitutionum an. 1764, Rector Maior Mauron inter alia edidit *Manuale Novitiorum CSSR*, Roma 1856, in quo (pp. 5-36) continentur « Preces quotidiana ». Hae preces (id est « preces communes ») in litteris circularibus eiusdem P. is Mauron (die 2 VII 1856) pro uso non solum Novitiorum, sed totius Congregationis praescriptae sunt. Hic, p. 33-34, legimus: « Examen conscientiae vespertinum ... In honorem SS. Patronorum nostrorum (3 Gl. P.). In honorem S. Iosephi et S. Caietani propter S. Providentiam (3 Gl. P.). In honorem S.P.N. Alphonsi (3 Gl. P.) ». Ex hac editione *Manualis Novititorum* derivantur sequentes editiones variorum Manualium, sive pro tota Congregatione, sive pro singulis Provinciis paratorum. Nemo miretur, in omnibus his editionibus « officialibus », diceremus « typicis », invocationem particularem transalpinam in honorem sanctorum Floriani et Agathae non inveniri. Cfr ex.gr. *Manuale presbyterorum CSSR*, Regensburg, Manz, 1862 (prima editio, iussu P. is Generalis Mauron), vel *Manuale presbyterorum CSSR*, Regensburg, Pustet, 1911 (ultima editio, iussu P. is Generalis Murray); vel *Parvum Manuale ad usum presbyterorum CSSR*, Regensburg, Pustet, 1887 (iussu P. is Generalis Mauron).

Etiam in editione peculiari ad usum provinciae tunc Vindobonensis (austriacae) haec invocatio deest: *Manuale sacerdotum CSSR usui provinciae Vindobonensis*, Frankenstein 1914, quod explicatur natura « officiali » huius editionis seu approbationi Rectoris Maioris subiectae. In editionibus vero libri precum ad usum hebdomadarii, id est, in libro usui quotidiano destinato, haec invocatio semper habetur.

Sed in provincia Pragensi timor approbationis « officialis » non videtur praevaluisse: *Manuale sacerdotum CSSR usui provinciae Pragensis*, Praha 1912, p. 108, hic legitur invocatio « transalpina »: « Ke cti sv. Floriana a sv. Háty: Gloria Patri etc. ».

Editionem peculiarem provinciae polonicae non vidimus.

ca cum viceprovincia de Kopenhagen, Pragensi et polonica; usque ad an. 1907 viguit etiam in provincia tunc Germaniae Superioris, quae recens titulum in « monacensem » mutavit; an. 1893 in Brasile meridionale invecta est, ubi nunc per merita PP.um nostrorum Bavrorum provincia propria S. Pauli floret (16).

Ex geographico circumitu, quem indicavimus, deduci potest qua aetate haec invocatio assumpta fuerit. Complectitur enim totam illam regionem, quae ante an. 1848 (seu ante violentam dispersionem Nostrorum in imperio austriaco) provinciam primitivam austriacam efformabat: imperium videlicet austriacum et regnum Bavariae. Provincia propria Germaniae Superioris an. tantum 1853 constituta est, et, cum vix supponendum sit, usum invocationis peculiaris, de qua agimus, post constitutionem provinciae invectam fuisse, probabilius esse videtur usum eiusdem invocationis divisione provinciarum antiquorem esse. Ex altera parte, ceterae provinciae transalpinae primitivae (helvetica et belgica), an. 1841 primum a S. Sede erectae, talem usum numquam moverunt, nec provinciae, postea ab his separatae (17).

Conducimur itaque ad hanc conclusionem valde probabilem: invocationem peculiarem ss.um Floriani et Agathae inter an. 1841 et 1848 (vel maxime 1853) in provinciam primitivam austriacam fuisse introductam; aliis verbis, auctorem habuisse venerabilem P.em Passerat, Vicarium gen.lem transalpinum, vel saltem ab eo probatam fuisse (18).

(16) De continuatione invocationis ss.um Floriani et Agathae in provinciis austriaca, Pragensi, polonica et in viceprovincia de Kopenhagen certi sumus ex propria experientia et ex responsionibus directis quas datis occasionibus collegimus.

De suppressione invocationis in provincia Germaniae Superioris, occasione visitationis canonicae an. 1907, per P.em Stummer Iosephum, tunc Provincialem, certiores facti suinus per urbanas litteras RP.is Zettl (Gars 28 II 57). RP Iosephus Untergehrer, a P.e Zettl rogatus, collegit varia testimonia a veteranis provinciae (epistula Deggendorf 22 II 1957). Placet pauca quaedam hic notare.

In antiquioribus editionibus libri precum pro hebdomadario invocatio habetur. Patres Fratresque coadiutores veterani omnes bene recordabuntur recitationem invocationis. Tempore dispersionis propter « Kulturmampf », in domo iuvenatus Dürrenberg, apud Hallein (Salzburg, Austria), an. 1898 haec invocatio per breve tempus suppressa est; sed cum mox iuvenis quidem gravi morbo gulæ laborare coepisset, RP. Stangassinger, qui tamquam « sanctus » habebatur et habetur (eius Beatificationis Causa apud s. Rituum Congregationem agitur) instabat: « Eccere! Vix suppressistis, poenam luetis! ». Consentaneum fuerat, invocationem restituere. - Referunt praeterea veterani illi, verum auctorem suppressionis invocationis illius in provincia Germaniae Superioris fuisse P.em Georgium Schober, qui per multos annos Romae vixit, apud s. Congregationem Rituum Consultor optime meritus, homo observantiae rigidæ, ita ut tempore feriarum in domo studentatus Gars apud Superiores maiores provinciae institerit, quominus haec invocatio, ut contra rigorem Regulæ, supprimatur.

Notetur vero, tunc in dicta provincia alios quoque usus invaluisse gravioris momenti, ita ut invocatio duorum sanctorum res parvi ponderis erat, quae tamen cum ceteris usibus extra Regulam dirupta est.

E provincia S. Pauli (Brasile), usque ad hunc diem, in quo haec scribimus (22 IV 57), responsionem non acceperimus.

(17) Historia erectionis provinciarum an. 1841 nota est; nec opportunum esse videtur, documenta iterum hic allegare. De fundatione provinciae Germaniae Superioris vide E. ZETTL, *Hundert Jahre süddeutsche Redemptoristen*: *Spic. hist.* I (1953) 212-220.

(18) P. Passerat, quamquam origine francogallus, tamen inde ab an. 1803 per regiones Germaniae meridionalis, deinde per magnam partem Helvetiae migratus est, demum per 18 annos residebat in Wien, atque iterum iterumque omnes illas regiones visitationum causa remigravit, ita ut non alienum sit opinari eum quoque populariem venerationem erga ss.os Florianum et Agatham novisse. Non excludimus tamen, alium vel alios in decisionem

Post expositionem rerum, quas supra sub nn. 1 et 2 praesentavimus, dubium esse non potest, quin s.i Florianus et Agatha in una invocatione consociati fuerint, quia in regionibus austriacis vel bavaris ex saeculari populum traditione ut patroni « per excellentiam » contra ignem atque incendia noti et venerati sunt.

Ni fallimur, temporibus Congregationis transalpinae proprie dictae (1820-1855) domus nostrae numquam incendio devastatae sunt; pericula tamen vel forsitan initia incendiorum mox domatorum facile haberi poterant, quin notitiae de iis ad nos pervenerint. Ceterum Congregatio transalpina in rebus minoris momenti certa gaudebat libertate, ita ut nulla obstabat difficultas, brevem hanc invocationem communibus precibus inserendi. Nullum novimus documentum vi cuius haec insertio praescriberetur aut commendaretur; attamen alicubi adhuc latere potest (19).

4. CONCLUSIO.

De parvula sane re egimus.

Qui vero traditiones ususque peculiares bonos et rationabiles amat, gaudet hanc minusculam reliquiam e temporibus « Patrum » nostrorum intactam pervenisse ad nostros usque annos, in quibus tantae ac tales, vel

influxum habuisse PP.um nostrorum ex illis regionibus natos et ab infantia pietatis popularis usibus perfusos.

(19) Certa traditio de origine invocationis, quam tractamus, non existit. - RP Hosp, quem — egregium nostrarum rerum praecipue austriacarum et in genere transalpinarum cognitorem — interrogavimus, haec fere nobis tradidit (epistula Katzelsdorf 16 III 1957); remittitur ad P.em Provincialem Andream Hamerle (Provincialis 1880-1894, † 1930), quem, dum de « Assecurazione contra incendia » agebatur, dixisse assurerunt, nos domosque nostras « assecutatas » esse apud ss.os Florianum et Agatham, atque simul statuisse, addendum esse in precibus verspertinis illud « Gloria Patri » in honore patronorum contra ignem. Sed cum idem P. Hosp, pro sua historica diligentia, litteras circulares P.is Hamerle perscrutatus esset, omnino nihil invenit quod opinioni expositae responderet. Nec inspectione facta in circulares epistulas Provincialium antecedentium, aliud elementum in lucem venit. In libris vero chronicarum domus nostrae de Katzelsdorf, ad an. 1869, occasione ictus fulminis in domum, legitur damnum non evenisse quia « assecutati » sumus apud ss.os Florianum et Agatham! »

Ex traditione autem provinciae bavaricae (Germaniae Superioris, nunc Monacensis) haec alia narratio profertur: « Ave Maria » (sic!) in honorem patronorum Floriani et Agathae apud PP. Austriacos hanc habuisse rationem: cum olim incendium oritur in quodam Collegio nostro, votum factum esse recitandi quotidie hanc precationem. Hic usus a Patribus qui, ex Austria venientes, primam domum in Bavaria fundarunt (Altötting, an. 1842), allatus est et continuatus usque ad tempus quo (ut hac traditionis versione dicitur) superiores retinebant, votum PP.um austriacorum non obligare PP. Bavariae, nec convenire, ab usu totius Congregationis recedere quae hanc invocationem ignorat.

Evidens est, certam securamque traditionem de hac re non existere. Notitiae scriptae (si existant!) adhuc non inventae sunt. Manet ergo nostra opinio, tempus introductionis querendum esse inter an. 1841 et 1848 (1853); praecisam occasionem vel auctorem verum huius usus ignoramus.

Addere placet notitiam de usu invocationis s.ae Agathae in Congregatione religiosa sororum, quae in Helvetia originem habuit; Congregationem intendimus Sororum docentium a Sancta Cruce de Menzingen (Zug, Schweiz), fundatam an. 1844, et de educatione atque formatione sexus femineae optime meritam. Confundatrix, Mater Maria Bernarda Heimgartner (in cuius Beatificationis causam incumbimus), nata in pago Fislisbach (Aargau), ubi ecclesia paroecialis s.ae Agathae sacra est, hanc popularum invocationem in Congregationem suam invexit: « Bitt für uns, o heilige Jungfrau und Märtyrin Agatha, auf daß wir von zeitlichem und ewigem Feuer bewahrt werden » (Cfr H. JUD, *Mutter Bernarda Heimgartner*, Menzingen 1944, 66).

maximae quoque res et institutiones, violentia nimia bellorum et permutationum in plurimis vitae et « civilisationis » nostrae condicionibus penitus exciderunt.

Sperare liceat, hanc devotam facilemque invocationem in futuro quoque pie conservatam iri, dum pericula « incendiorum » vel totius mundi, certo quodam modo, in dies augeantur, sive rerum eventuumque politicarum successionem, sive potentiam omni nostra notione et experientia maiorem instrumentorum belli destructioni destinatorum consideremus. Valeat ergo atque servetur patronorum caelestium contra ignem atque incendia invocatio, traditione nostra peculiari sancita, ss.um Floriani et Agathae.

ANDREAS SAMPERS

STUDIA PATRIS TER HAAR
DE DECRETO B. INNOCENTII XI DIEI 26 IULII 1680

Occasione beatificationis Papae Innocentii XI liceat nobis etiam in mentem revocare studia P.is Francisci Ter Haar (1) de Decreto 26 iulii 1680, quod magni momenti est in progressu controversiae de Probabilismo.

Quando, vertente saeculo 19°, haec controversia denuo exarsit maxime inter fautores systematis Probabilismi simplicis et Aequiprobabilismi, pluries de hoc Decreto disceptatum est, quin tamen textus authenticus sufficienter cognosceretur. Occasione controversiae inter P.em Iosephum Brucker SI (2) et P.em Petrum Mandonnet OP (3) Suprema Congr. S. Officii adita est, ut textus genuinus ex tabulario eiusdem Congregationis publicaretur. Quod factum est die 21 apr. 1902 (4).

Quamvis S. Sedes in hoc Decreto nihil definiat nec condemnet, tamen ex discendi genere clare elucet quod vertatur contra eos « qui asserunt quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliore sic cognita et iudicata, licitum sit sequi minus probabilem » (5), a.v. contra Probabilismum simplicem (6).

(1) Ter Haar Franciscus Ass., cfr *Spic. hist.* 2 (1954) 274, n. 163. - Bibliographia eius in DE MEULEMEESTER, *Bibliographie* II 420-422, III 395.

(2) *Le prétendu Décret d'Innocent XI contre le Probabilisme: Études* 86 (1901 I) 778-800. - *Le Décret de 1680 concernant le Probabilisme d'après une communication officielle du S. Office*: *Ibid.* 92 (1902 II) 831-846.

(3) *Le Décret d'Innocent XI contre le Probabilisme: Revue Thomiste* 9 (1901) 460-481, 520-539, 652-673. - *Encore le Décret d'Innocent XI*: *Ibid.* 10 (1902) 676-698.

(4) *Textus Decreti apud Acta Sanctae Sedis* 35 (1902/03) 252-253; *Études Religieuses* 91 (1902 II) 847-848; DENZ. n. 1219.

(5) Ex textu Decreti.

(6) « Sarebbe quindi errore di pensare che il S. Offizio con quel decreto definisse esser vero il Probabiliorismo e falso il Probabilismo [...]. E' da confessare d'altra parte che, se è vero che la S. Sede non definisse nulla, è pur vero però, che diede il suo favore al Probabiliorismo, quasi desiderasse che finalmente questo trionfasse e non già il Probabilismo ». (*Civiltà Cattolica* 53 [1902 III] 578-579).

Naturale ergo erat fautores Aequiprobabilismi ex hoc Decreto arma parare conatos esse contra Probabilismum. Sic etiam noster P. Ter Haar, qui iam ab initio attentionem suam in partem historicam controversiae vertebat (7). Anno 1903 articulum publicavit in lingua nativa neerlandica, postea versum in linguam francogallicam (8). Anno sequente 1904 librum divulgavit in lingua germanica, quem deinde in forma aliquatenus compendiaria redactum etiam latine edidit (9).

Auctor intentionem suam ita definit: « Nos equidem totam integrumque celebris hujus Decreti historiam enarrare conati sumus; documenta, quae ad rem spectant, verbotenus saepe adduximus; omniaque facta ita tandem cum Theologiae conneximus principiis, ut Ecclesiae catholicae cum Probabilismo ratio omnibus, qui praejudicis vacui sunt, clare pateat.

Quae autem dicturi sumus illud, ni fallimur, efficient, ut sapiens et genuinus quisque, sive catholicus sive acatholicus, perspectum habeat, primo quidem nequaquam scientiam catholicam progrediendo ac proficiendo simplicem illum Probabilismum seu Minusprobabilismum genuisse, [...] tandem verum sistema morale, per pugnas controversiasque multas, maxime in Societate Jesu, pedentem se in Ecclesiae sinu explicuisse, atque a compluribus Societatis Jesu theologis, in primis vero a S. Alphonso Ecclesiae Doctore ad apicem perductum fuisse » (10).

Hic locus non est disserendi de valore interno studii P. is Ter Haar, nec de veritate interpretationis historicae Decreti et circumstantiarum eius, nec de indole expositionis theologicae systematis propugnatae. Liceat tantummodo dubium movere, an interpretatio « aequiprobabilistica » Decreti (11) vera sit, nec sit magis conformis intentioni B.i Innocentii interpretatio « probabilioristica » (12).

Opusculum nostri auctoris, quamquam a pluribus approbatum (13), aliis, nominatim fautoribus Probabilismi simplicis (quid mirum !), persuadere non

(7) Prima eius publicatio in controversia de Probabilismo sic sonat: *De systemate morali antiquorum Probabilistarum dissertatio historico-critica*; Paderborn, F. Schöningh, 1894; 8°, 108.

(8) *Het Decreet van Innocentius XI over het Probabilisme*: Ned. Kath. Stemmen 3 (1903) 163-185. - *Le Décret d'Innocent XI concernant le Probabilisme*: Nouv. Revue Theol. 35 (1903) 479-496, 569-578.

(9) *Das Dekret des Papstes Innocenz XI. über den Probabilismus. Beitrag zur Geschichte des Probabilismus und zur Rechtfertigung der kath. Moral gegen Döllinger-Reusch, Harnack, Hermann und Hoensbroech*; Paderborn, F. Schöningh, 1904; 8°, 204. - *Ven. Innocentii PP. XI de Probabilismo Decreti historia et vindiciae, una cum Responsum ad praecipuas recentium acatholicon accusaciones adversus Ecclesiae cath. doctrinam moralem*; Tournai-Paris, H. Casterman, 1904; 8°, 165. - *Approbatio pro libro germanico a Pl. RP.e Prov. I. Meeuwissen data est die 21 I 1904, pro libro latino die 5 X 1904*.

(10) *Ven. Innocentii de Probabilismo Decreti historia*, p. VI-VII.

(11) *Das Decret des Papstes Innocenz XI. über den Probabilismus* 48 ff. *Das Decret Innocenz XI. und der Aequiprobabilismus*.

(12) « Innocenzo [...] da asceta incline al rigore e poco favorevole a compromessi ed a mezze misure, non esitò a favorire apertamente i tuzioristi contra i cosiddetti probabiliisti » (C. MICCINELLI SI, *Il Beato Innocenzo XI*, Tip. Poligl. Vatic. 1956, 97-98).

(13) Ex. gr. « RP Fr. Ter Haar eximium hunc, primum germanice, nunc latine divulgavit librum » (*Acta Sanctae Sedis* 37 [1904/05] in involucro fasc. 15 XII 1904). Alia iudicia favorabilia in nuntio librario ab editore Schöningh edito (4 pp.).

potuit (14). Censura P. is Iosephi Franz SI (15), quae ceteris plus erat contraria, induxit P. em Ter Haar ad opinionem suam defendendam (16).

JOSEPHUS LÖW

OPUSCULUM IGNORATUM P. IS HARINGER CSSR: « INNOCENZ XI. UND DIE BEFREIUNG WIENS 1683 ».

Innocentius XI, eximiae sanctitatis vir, iam apud coaevos magna illustris fama virtutum, die 7 octobris anni elapsi 1656 a Pio PP. XII ad honores altarium elevatus est (1). Opus externum magis conspicuum et clamorosum sui Pontificatus debellatio fuit gloriosa exercituum Turcorum qui vehementissima aggressione usque in mediam Europam irruentes, urbem capitalem Austriae Wien periculose obsidebant (17 VII - 12 IX 1683).

Interventu autem maximopere Summi Pontificis Innocentii XI factum est, ut, restituta principum christianorum concordia, ex variis nationibus exercitus coadunati, et urbem obsessam liberarent, et christiani nominis hostem longe repellerent. Imo, a clade Turcorum vindobonensi initium habuit regressus potentiae « Lunae dimidiatae », quae per duo fere saecula Europam christianam dire vexabat nec semel graviter minitabatur (1453: expugnatio urbis Constantinopolis, — 1683: liberatio urbis Wien) (2).

An. 1683 memoria bis saecularis felicis eventus, in Austria praecepue, solemniter celebrabatur. Conveniebat omnino, ut etiam Austriaci ceterique germanicae linguae incolae Romani non solum liberationem vindobonensem, sed vel magis verum auctorem magnae illius victoriae, id est, Pontificem Maximum Innocentium XI, rite recordarentur. Rector igitur Collegii et ecclesiae S. ae Mariae « ad animas », quae est ecclesia nationis germanicae (3),

(14) Inter alios AUG. LEHMKUHL SI, *Probabilismus vindicatus*, Freiburg/Brsg. 1906, Cap. V *Auctoritas Ecclesiae perperam invocatur contra probabilismum*.

(15) *Das Dekret Innocenz XI über den Probabilismus: Zeitschrift für kath. Theologie* 28 (1904) 788-792.

(16) *Das Dekret des Papstes Innocenz XI. über den Probabilismus. Ein Wort zur Abwehr: Jahrbuch für Phil. u. spek. Theol.* 20 (1906) 80-99.

(1) Pro solemniis beatificationis duae biographiae « officiales » editae sunt, quibus resumitur quae a scriptoribus praecedentibus de Innocentio XI dicta fuerunt. Ecce auctores et titulos: G. PAPÀSOGLI, *Innocenzo XI*, Roma 1956; ibi, 399-404 « Nota bibliografica ». - C. MICCINELLI, *Il Beato Innocenzo XI*, Typ. Polygl. Vatic. 1956. - « Positiones » quae vocantur, seu publicationes ad usum S. Congregationis Ritum, praebent innumera fere documenta et notitias de vita et opere Beati.

(2) Opus principale de bello Turcico an. 1683 manet illud quo etiam P. Haringer usus est: O. KLOPP, *Das Jahr 1683 und der folgende grosse Türkenkrieg bis zum Frieden von Carlowitz 1699*, Graz 1882. Vide « Register » sub voce *Innocenz XI*. 570-571. - Superfluum videtur esse, memorare opera quae de historia potentiae imperii Turcici agunt, vel generaliter historiam describunt Europae centralis illo eodemque tempore, vel etiam varia opera quae Summorum Pontificum historiam tradunt.

(3) J. LOHNINGER, *Santa Maria dell'Anima. Die deutsche Nationalkirche in Rom*, Rom 1909. - A. HUDAL, *Santa Maria dell'Anima, die deutsche Nationalkirche in Rom*, Rom 1923. -

tunc R.mus Dom. Carolus Jänig (4), P.em nostrum Haringer (5), notum scriptorem, rogavit, ut proprio opusculo memoriam fausti eventus ante duo saecula occursi digne congrueque commemoraret. Sic factum est, ut Haringer noster, diligenter undequaque collectis notitiis, ut sui moris erat, opusculum pararet, cuius paeloquium subsignavit Romae 15 VIII 1883. Opella ista, 53 paginarum (21 x 14,3 cm), permissione Sacri Palatii Magistri Fr. Augustini Bausa OP (6) munita, typis tamen impressa est in Austria (Prag), sed destinabatur, ut iam diximus et ut ex paeloquio habetur, patriis civibus Romae degentibus.

Opusculum tamen P.is Haringer de magna bibliographia P.is De Meulemeester excidit (7); nomen enim auctoris in pagina inscriptionis non comparet, ita ut per se anonymum esse appareat, sed invenitur in subscriptione paeloquii tantum.

Occasione beatificationis Innocentii XI, cuius memoria a clade Turcorum et a liberatione vindobonensi seiungi non potest, opusculum quoque P.is Haringer in mentem revocare bene visum est nobis; manet enim monumentum, quamquam modestum, tamen verum, novi Beati (8).

CHR. HUELSEN, *Le chiese di Roma nel Medio Evo*, Firenze 1927, 535. - M. ARMELLINI - C. CECCHELLI, *Le chiese di Roma dal sec. IV al XIX*, Roma 1942, 473-475, 1341-1342. - Collegium sacerdotum erectum est an. 1859 (10 III); cfr J. SCHMIDLIN, *Geschichte der Anima*, Rom 1906.

(4) Carolus Jänig primum fuit Rector antiquae fundationis germanicae « Santa Maria in Campo santo Teutonico »; an. 1872 (20 XII) nominatus est Pro-Rector Institutionis Sanctae Mariae ad Animam; et inde ab an. 1875 Rector.

(5) Cfr *Spic. hist.* 2 (1954) 251, n. 67. - M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie générale des écrivains Rédemporistes* II, Louvain 1935, 180-182; III, 1939, 315.

(6) Augustinus Bausa OP fuit Magister S. Palatii 1882-1887; tunc Cardinalis creatus est, et an. 1889 electus archiepiscopus de Firenze (erat Florentinus); † 1899. - I. TAURISANO, *Hierarchia Ordinis Praedicatorum*², Roma 1916, 62, n. 84. - A. WALZ, *I Cardinali Domenicani. Note bio-bibliografiche*, Firenze-Roma 1940, 51, n. 64.

(7) DE MEULEMEESTER; vide supra nota 5.

(8) Monumentum, vel potius documentum victoriae vindobonensis an. 1683 et simul pietatis Beati Innocentii XI est *festum Nominis B. Mariae V.* Victoria enim illa et subsequens Turcorum debellatio intercessione B.mae Dei Geneticis adscripta fuit; itaque Innocentius XI an. 1684 (20, 25 XI) festum eiusdem S.i Nominis ad universam extendit Ecclesiam; sub ritu duplicis maioris, celebrandum dominica post festum Nativitatis B. Mariae V.; in emendatione calendarii s.i Pii X (an. 1911-1913) idem festum translatum est in diem 12 sept., qui est dies liberationis urbis Wien.

Aliud momumentum eximiae victoriae vindobonensis est *ecclesia romana sub titulo Nominis Mariae V.*, quae exstat in foro Traiani (Ss.mo Nome di Maria al Foro Traiano). Post supplicationes marianas quas Innocentius XI disposuerat, dum periculum obsessionis et expugnationis urbis Wien immineret, pii quidam viri romani Virginem Matrem sub titulo Nominis Mariae excolere continuabant, unde an. 1668 nata est confraternitas eiusdem s.i Nominis. Piae uniones locum habuerunt in ecclesia s.i Stephani ad Cacum (S. Stefano del Caco), sed an. 1694 confraternitati concessa est ecclesia s.i Bernardi ad Forum Traianum, ubi denique, post demolitam ecclesiam dicti s.i Bernardi, nova ecclesia excitata est sub titulo Nominis Mariae, architecto Derizet francogallico, ad modum artis quae « Barocco » dicitur, egregie constructa. Ibidem conservantur trophya illius victoriae, id est, inter alia, pretiosissima vela arte « ottomana » contexta quae exornaverunt tentorium praetoriale ducis imperialis turci Kara Mustapha, vexilla bellica, aliaeque res pretiosae ex praeda immensa quam christiani principes fecerunt.

De ipsa ecclesia vides M. ARMELLINI - C. CECCHELLI (supra nota 3), 314-315, 1398. - An. 1883 Imperator Franciscus Iosephus, protector ecclesiae et collegii S.ae Mariae ad Animam, in memoriam liberationis vindobonensis, tamquam donum votivum celebrationis bis centenariae, eaedem ecclesiae obtulit pretiosum candelabrum paschale, arte factum et fusum.

NOTITIAE BIBLIOGRAPHICAE

* Asterisco indicatur auctor qui a nostra Congregatione alienus est.

ANDREAS SAMPERS

BIO-BIBLIOGRAPHIA CSSR

1938-1956

Inde ab exordiis *Spicilegii* nostri historici in votis nostris erat, bibliographiam exhibere omnium publicationum, in quibus de rebus historicis CSSR quoquo modo ageretur, in continuationem et ut supplementum magni operis RP.is DE MEULEMEESTER, *Bibliographie générale des écrivains Rédemptoristes I-III*, Louvain 1935-1939. Sed propter multitudinem harum publicationum impossibile erat, totam bibliographiam insimul fratribus offerre, ita ut congruum esse videretur, res in minora capita dividere. Sic fecimus.

In primo itaque fasciculo *Spicilegii* vulgavimus bibliographiam « alfon-sianam » (SH 1 [1953] 248-271) et « hofbauerianam » (ibid. 271-282, auct. RP.e Löw); secuta est bibliographia « gerardina » (SH 3 [1955] 498-507) et « Monialium OSSR » (ibid. 464-498, auct. RP.e de Meulemeester).

Nunc vero aggressi sumus bibliographiam « bibliographicam » nostrorum, genus quod « bio-bibliographia » uno verbo denominari solet. Restat, ut ceteras publicationes quae de historia nostra tractant proxime colligentes, totam bibliographiam historicam annorum 1938-1956 complecteremus.

In hac praesenti bio-bibliographia referimus scripta quaeque de sodalibus nostris, Patribus, Fratribus clericis (FC), Fratribus laicis (FL), quas attingere potuimus, incipientes ab an. 1938 (seu ubi desinit opus P.is de Meulemeester) usque ad totum annum 1956. Paucissima quaedam, quae ante an. 1938 prodierunt, quin tamen in magno opere bibliographicō Instituti nostri inveniantur, addidimus. Ex *Analectis* vero, quae a P.e de Meulemeester non citantur, notitias biographicas inde ab initio (an. 1922) excerpsumus.

Ordinarie agitur de illa specie notitiarum, quae communiter « in memoriam » vocantur et, sine peculiari titulo, sub nomine defuncti exhibentur. Notitias huius generis addita inscriptione [*Necrologium*] indicavimus. Interdum damus etiam notitias, quae occasione « iubilaeorum » 50 vel 60 annorum in lucem venerunt, si enim etiam narrationes breves biographicas praebent; tunc addidimus inscriptionem [*Aureum vel Adamantium professionis seu sacerdotii iubilaeum*]. Si quandoque sub uno nomine plures publicationes allegandae erant, secuti sumus ordinem chronologicum earundem publicationum; in « Necrologiis » tamen praemisimus *Analecta*, hac praesertim ratione, quia ubique in omnibus domibus nostris ad manus habentur.

Libri veri nominis et opuscula rarius occurrunt; publicationes adducendae maxima ex parte efformantur, uti iam innuimus, notitiae brevioribus quae communiter in foliis periodicis inveniuntur, quae a sodalibus nostris CSSR

evulgantur. Inscriptiones illorum foliorum per « sigla » exprimimus, quorum speciem infra exhibemus. Libros quoque illos (non multos, quod valde deplorandum est), in quibus series descriptionum vitae Nostrorum collectae sunt, sedulo excerptsimus; horum librorum titulos, una cum modo quo in bio-bibliographia breviori modo allegantur, infra subiunximus.

Uti obvium est et communi usui respondet, mentionem facimus tantummodo fratrum nostrorum, qui iam e hac vita ad meliorem translati sunt.

Ad nomina quod attinet, quae in bio-bibliographia nostra exhibentur, notandum est, nos cognomina (nomen « familiae ») Patrum et Fratrum in una serie, ordine stricte alphabetico digesta, disposuisse. Si nomen religionis Fratrum laicorum a nomine baptismatis differt, idem religionis nomen inter uncos rotundos adiecimus; Fratres laicos insuper in alia tabula secundum nomina « religionis » repetivimus.

Denique monemus, in hac bio-bibliographia omissa esse nomina seu publicationes eorum ex Nostris, qui iam ad honores altarium elevati sunt, vel quorum Causae beatificationis vel canonizationis apud S. Rituum Congregationem aguntur. Speramus, peculiarem bibliographiam nostrorum Servorum Dei in proximo fasciculo praesentare posse, ut sic compleatur *Bio-bibliographia CSSR, 1938-1956*.

ABBREVIATIONES PRO LIBRIS PLURIES CITATIS ADHIBITAE

- DE MEULEMEESTER, *Glanes Alphonsiennes* - DE MEULEMEESTER Maurice, *Glanes Alphonsiennes. Influences doctrinaires, apostoliques et culturelles de St.-Alphonse de Liguori en Belgique* (Extrait de *La Voix du Rédempteur* 1939-1941); Louvain, Impr. St.-Alphonse, 1946; 8°, 168, ill.
- DE MEULEMEESTER, *Rédemptoristes de la Mission Congolaise* - DE MEULEMEESTER Maurice, *Les Rédemptoristes de la Mission Congolaise, décédés de 1902 à 1930* (Extrait de *la Biographie Coloniale Belge I*); Bruxelles 1948; 8°, 32 col.
- GREGORIO, *Sulle orme* - GREGORIO Oreste, *Sulle orme di S. Gerardo*; Materdomini, Casa ed. S. Gerardo, 1948; 8°, 165.
- GREGORIO-AUBIN, *A la suite* - GREGORIO Oreste, *A la suite de S. Gérard*. Traduit de l'italien par le RP L.-X. AUBIN; Ste-Anne-de-Beaupré, CSSR, 1956; 8°, 104.
- HENLÉ, *Figures* - HENLÉ Paul, *Figures de Religieux Rédemptoristes de la Prov. de Strasbourg*; Sélestat, Impr. Alsatia, [1947]; 8°, 441.
- HOUSSE, *Petite couronne funéraire* - HOUSSE Emile, *Petite couronne funéraire. Nos derniers confrères defunts au Chili*; cyclostilo impressum c.1948; 4°, 65.
- Jubilee Book - Jubilee Book of Redemptorist Fathers of the Eastern Rite, 1906-1956; Yorkton, CSSR, 1956; 8°, 444, ill.
- KLAR, *Redemptorister* - KLAR Franz, *Redemptorister i het Danske Vikariat, 1899-1949*; Köbenhavn, CSSR, 1950; 8°, 183, ill.
- LEFEBVRE, *Profils d'Apôtres* - LEFEBVRE Eugène, *Profils d'Apôtres. Rédemptoristes tombés en Annam*; Ste-Anne-de-Beaupré, Libr. Alphonsienne, [1947]; 8°, 272, ill.

*Litterae Annales Prov. Polonicae I, II, III - Litterae Annales de rebus gestis
Prov. Polonicae CSSR, 1910; Krakow, CSSR, 1912; 8°, 89, ill. - Idem,
1911-1918; Krakow, CSSR, 1920; 8°, 102, ill. - Idem, 1918-1927; Krakow,
CSSR, [1939]; 8°, 87, ill.*

*Nouvelles Figures - Nouvelles Figures de Religieux Rédemptoristes de la
Prov. de Strasbourg; Colmar, Impr. Alsatia, 1949; 8°, 335.*

SCHIAVONE, Biografie - SCHIAVONE Salvatore, *Biografie dei Redentoristi Na-
poletani più raggardevoli per santità, dottrina e dignità*; Pagani, Casa
ed. S. Alfonso, 1938; 8°, 386, ill.

*TELLERÍA, *Instituto misionero* - TELLERÍA Raimundo, *Un Instituto misionero.*

*La Congregación del Santísimo Redentor en el segundo centenario de
su fundación, 1732-1932*; Madrid, « El Perp. Socorro », 1932; 8°, 589, ill.

SIGLA PRO FOLIIS PERIODICIS PLURIES CITATIS ADHIBITA

A	<i>Analecta CSSR</i> (Roma)
ABB	<i>Alfonsiana. Boletin de la Prov. de Buga y Quito</i> (Cuenca, Ecuador)
ABSA	<i>Annales de la Bonne S. Anne de Beaupré</i> (Ste-Anne-de-Beaupré, Canada)
AF	<i>Apôtre du Foyer</i> (St-Étienne, France)
AGSA	<i>Annals of Good St. Anne de Beaupré</i> (Ste-Anne-de-Beaupré, Ca- nada)
APSec	<i>Almanach du Perpétuel Secours</i> (Haguenau, France)
ASA	<i>Amici, Gli, di S. Alfonso</i> (Palermo)
ASM	<i>Anales del Señor de los Milagros</i> (Buga, Colombia)
BCR	<i>*Bollettino del Clero Romano</i> (Roma)
BPE	<i>Boletin de la Provincia Española</i> (Madrid)
BPR	<i>Bollettino della Provincia Romana CSSR</i> (Roma)
BR	<i>Boletin Redemptorista</i> (Aparecida, Brasil)
BUF	<i>Briefe an unsere Freunde</i> (Gars, Deutschland)
CCB	<i>CSSR Chronicle Baltimore</i> (New York)
C-K	<i>Chroniques-Kronieken</i> (Bruxelles)
DHGE	<i>*Dictionnaire d'Histoire et de Géographie Ecclésiastiques</i> (Paris)
DSAM	<i>*Dictionnaire de Spiritualité Ascétique et Mystique</i> (Paris)
E	<i>Espino</i> (El Espino, España)
EBR	<i>Ecclesiastical, The, Bulletin of Roseau</i> (Roseau, Dominica)
EC	<i>*Enciclopedia Cattolica</i> (Città del Vaticano)
EM	<i>Ecos Marianos</i> (usque ad an.9 [1935] : <i>Almanaque</i>) da Basilica Na- cional de N. Senhora Aparecida (Aparecida, Brasil)
GE	<i>Germen y Espiga</i> (Popayán, Colombia)
HD	<i>Homo Dei</i> (Tuchów, ab anno 15 [1946] Wrocław, Polska)
IN	<i>Inter Nos</i> (Amsterdam)
KB	<i>(St.) Klemens-Blätter</i> (Wien)
M	<i>Madonna of Perpetual Help (Magazine)</i> (Montreal)
MHPN	<i>Monumenta Historica (Provinciae Neerlandicae CSSR)</i> (Amster- dam)

MI	<i>Maria Immerhilt</i> (Haguenau, France)
MIK	<i>Maria Immerhilt-Kalender</i> (Haguenau, France)
MV	<i>Ministerium Verbi</i> (Amsterdam)
MVAM	<i>Mariánsky Vestník - Ave Maria</i> (Svatá Hora, Ceskoslovensko)
MVNR	<i>Ministerium Verbi. Nieuwe Reeks</i> (Amsterdam)
NKS	<i>Nederlandse Katholieke Stemmen</i> (Zwolle, Nederland)
NNPR	<i>Nachrichten für die niederdeutsche Provinz der Redemptoristen</i> (Geistingen, Deutschland)
PDT	<i>Petrus, Het; Donders Tijdschrift</i> ('s Hertogenbosch, Nederland)
PH	<i>(Our Lady of) Perpetual Help</i> (New York)
PHB	<i>(Our Mother of) Perpetual Help (Novena) Bulletin</i> (Oconomowoc, ab an. 22 [1949] Liguori, USA)
PSec	<i>Perpétuel, Le, Secours</i> (Haguenau, France)
PSoc	<i>Perpetuo, El, Socorro</i> (Madrid)
PSocM	<i>Perpetuo Socorro</i> (México)
PSocPP	<i>Perpetuo, El, Socorro en los Paises del Plata</i> (Buenos Aires)
PSocS	<i>Perpetuo, El, Socorro</i> (Santiago, ab an. 20 [1951] San Bernardo, Chile)
RM	<i>Revista Misionera</i> (Madrid)
RNPR	<i>Rundbriefe für die niederdeutsche Provinz der Redemptoristen</i> (ab an. 1956 <i>Provinz-Nachrichten</i>) (Köln-Mülheim)
SA	<i>Sant'Alfonso</i> (Pagani, Italia)
SCB	<i>Sint Clemens-Bode</i> (Rotterdam, ab anno 6 [1951] Amsterdam)
SD	<i>Sembrador Divino</i> (Cuenca, Ecuador)
SF	<i>Sainte, La, Famille</i> (Paris)
SGB	<i>Sint Gerardus-Bode</i> (Leuven, Belgie)
SGM	<i>San Gerardo Maiella</i> (Materdomini, Italia)
SH	<i>Spicilegium Historicum CSSR</i> (Roma)
SHo	<i>Svatá Hora</i> (Svatá Hora, Ceskoslovensko)
SJR	<i>*Social Justice Review</i> (St. Louis, Mo.)
SMH	<i>Stemmen uit Maria's Heiligdom</i> (Roermond, Nederland)
SPM	<i>Soccorso, Il, Perpetuo di Maria</i> (Bussolengo, Italia)
SSR	<i>Santissimo, Il, Redentore</i> (Roma)
TS	<i>Twin Spires. Monthly Messenger of the Mission Church Parish</i> (Boston)
V	<i>Volksmissionar, Der</i> (Bonn) (1)
VL	<i>Vita e Luce</i> (Roma)
Vm	<i>Volksmissionaris, De</i> (ab an. 69 [1952] <i>Katholiek Leven</i>) (Roermond, Nederland)
VN	<i>Voix des Nôtres</i> (Aylmer-Est, Canada)
VR	<i>Voix, La, du Redempteur</i> (ab an. 62 [1956] <i>Redemption</i>) (Louvain, Belgique)
VSSJ	<i>Vestník Sdruzení Svatého Josefa</i> (Praha)

(1) An. 1938-1940 a Patribus in Luxemburg editio propria huius periodici curata est cum eadem anni (17-19) indicatione sed cum diversa articulorum distributione, licet contributiones ex parte eadem sint. Haec editio Luxemburgensis periodici indicatur appositione verbi *Lux.* ad annum, ex.gr. V 17 (Lux. 1938) 138.

- ABBATELLI Ioannes, 1821-1904.
 SCHIAVONE, *Biografie* 202-204.
- ABBENANTE Ianuarius, 1808-1878.
 SCHIAVONE, *Biografie* 288.
- ADAMO Ioannes, 1881-1935.
 [Necrologium] : A 14 (1935) 149-150
- ADDRIZZA Michael, 1861-1944.
 [Necrologium] : A 21 (1949) 46-47. - ASA 13 (1946) 12.
- ADDUCA Rosarius, 1793-1860 (FL).
De Fratre laico Rosario La Duca : A 9 (1930) 308-311.
 DE CARO Giuseppe, F. Rosario Adduca : ASA 6 (1938) 153-155, 174-176, 186-187, 203-204;
 7 (1939) 10, 21-22, 44-45, 55-56, 72-73, 91-92, 106-107, 119-120.
 SCHIAVONE, *Biografie* 47-50.
 GREGORIO, *Sulle orme* 92-96. - GREGORIO-AUBIN, *A la suite* 56-58.
